NICOLAI VERNVLÆI

HISTORIOGRAPHI REGII ET PVBLICI ELOQVENTIÆ PROFESSORIS,

INSTITVTIONVM OECONOMICARVM LIBRI DVO.

Qui Omnia Domeſticæ Doctrinæ, ſeu Familiæ regendæ elementa continent.

Nunc demum Additamentis, id eſt, Scriptorum Teſtimonijs, Authoritatibus, Exemplis, & Documentis, quæ inſtar commentariorum ſunt, adornati.



LOVANII,

Apud IOANNEM VRYENBORCH, Sub Biblijs.

M. DC. XLIX.

Cum Gratia & Priuilegio.

PERILLVSTRIBVS ET MAGNIFICIS DOMINIS

CHRISTOPHORO
ET
CASIMIRO LEONI
SAPIEHA

PALATINIDIS VILNENSIBVS,

ILLVSTRISSIMI DOMINI

LEONIS SAPIEHA

PALATINI VILNENSIS,

Supremi Exercituum Lituaniæ Ducis, Mohilcuienſis & Breſtenſis Capitanei,

FILIIS

FRATRIBVS GERMANIS,

NICOLAVS VERNVLÆVS

dedico conſecroque.

PERILLVSTRES AC MAGNIFICI DOMINI.

FVIT ea doctę Antiquitatis perſuaſio, neminem in Reipublicæ gubernaculis cum dignitate ſedere poſſe, qui prius regere Familiam non didiciſſet. Et Romani, qui Virtutum omnium exempla poſteritati dederunt, non ſemel eos Senatu mouerunt, qui Familiæ ſuæ rationes non rectè Conſorum iudicio inſtituerant. Adeò neminem prudentem eſſe Politicum iudicauerunt, qui non bonus eſſet Oeconomus. Quod cum mihi certâ ratione perſuaderem, & iam antea *Politicas Moralesq́ Inſtitutiones* publicę luci dediſſem fixum in animo fuit *Oeconomicam* Doctrinam ſcribere, & ſic Triadem implere. Ea verò cùm iam in publicum prodeat, non potui meliùs, quàm *Perilluſtri Magnificentiæ Veſtræ* illam conſecrare. Volentem me ac nequaquam inuitum impulit affectus ille inprimis, qui me totum veſtris obſequijs deuouit, & quem ſingulari Humanitate veſtrâ complectimini. Permouit ipſa deinde Ratio. Nam cùm ita nati ſitis, atque eâ indole menteq́ue prędíti, vt ſedere aliquando in Reipublicæ Polonicæ ſubſellijs debeatis, tum in hac Louanienſi Academia continuo indefeſſoque ſtudio illa vobis comparatis, quæ & prudentes Senatores forment, & magnos Duces exornent. Inter quæ cùm non vltima ſit Domeſticarum rationum cognitio, nihilq́ue veſtrorum ingeniorū aciem effugere laudabiliter velitis, venio in eam ſpem, fore, vt ad præclaram inſtitutionem veſtram aliquid hiſce *Oeconomicis Inſtitutionibus* videar contuliſſe. Atque eæ cum ſimul à me publico Iuuentutis bono donentur, vel idcircò placere poterunt, quod *Perilluſtre Nomen Veſtrum* præferant. Quippè ij eſtis in his Academiæ ſpatijs, quos & generoſa animi indoles, & rara morum grauitas, & ſapientiæ amor magnos olim fore teſtantur. Imò dum Virtutibus & Scientiâ ætatem præuertitis, rarò ſimul

Digitized by Google

& præclaro exemplo docetis, virtutem non canitie, ſed mente; ſapientiam non annis, ſed animis eſſe metiendam. Nimirum perſuaſum eſt rectè vobis, non alienæ incumbere famæ, ſed à vobis ipſis æſtimari. Et cum maxima ſit *Illuſtriſſimæ Stirpis Veſtræ* claritas, tum eius Gloriam ſine Sapientiæ fulcro dignè ſuſtinere vos non poſſe putatis. Quam ob cauſam Vos vnuſquiſque Iuuentutis Academicæ Principes, amore & admiratione digniſſimos, fatetur. Et ſanè agnoſcunt in vobis omnes

Quid mens ritè, quid indoles,
Nutrita fauſtis ſub penetralibus poſſit.

Coguntur etiam ſimul exclamare, quod

----- nec imbellem feroces
Progenerent aquilæ columbam.

Num cum *Illuſtriſſima Familia Veſtra* SAPIEHARVM ea ſit, quæ pluribus iam ſæculis Heroas innumeros bello inclytos, pace illuſtres dedit, omnemque ſibi Gloriam meritorum magnitudine vendicauit, non potuiſtis ex ea, niſi aurei quidam ſurculi pullare. Et quemadmodum, *tandem ſit circulus arbor*, ita tam Illuſtri ſanguine nati, tam felici Scientiarum & Virtutum rore irrigati, ad Maiorum veſtrorum decus ſurgetis. Ille cum virtutum omnium ſplendore Rempublicam veſtram illuſtrarint. Regibus in delitijs, toti Regno in admiratione, eorum exempla Domi habetis, Encomia in Faſtis. Neque ego illa hic contexo: ad *Illuſtriſſimum Parentem Veſtrum* Vos voco. In eo non generis claritatem, quam vobis dedit, ſuſpicietis, ſed prudentiam & Fortitudinem, quæ illum duobus Auguſtiſſimis Regibus, *Stephano Battoræo*, & *Sigiſmundo tertio* tam charum imprimis effecerunt, tum ad Ampliſſimos honores Legati, magni Cancellarij, Palatini Vilnenſis; denique ad excelſam Supremi Exercitus Lituaniæ Ducis dignitatem extulerunt. Has virtutes imitari Vos & aſſequi tali Indole poteſtis, vt *Patri* ſimiles ſitis *Filij*. Similes etiam Illuſtriſſimo D. *Stataniſlao Sapieha* Fratri veſtro, qui veſtigia magni Parentis premens, in Senatorium Ordinem adſcriptus eſt, & magnus Lituaniæ Mareſchalcus ſumma cum dignitate renuntiatus. Ad Illuſtriſſimam autem Matris veſtræ Familiam ſi reſpiciatis, ſubibunt animos, & animos veſtros percellent, Glorioſiſſimi illi Heroes *Ratziuilij*. Aui & propinqui veſtri, quorum Virtus, & parta tot meritis Gloria laudem immortalem occupauit. Ita à Veſtris & à Vobis habetis, vnde Vos quoque Heroes eſſe magni poſſitis. Tales Vos Patria expectat. Indoles veſtra promittit, Academia noſtra exoptat, ſibique in vobis gratulatur; ac cum ea Nobilis & Generoſus Dominus *Hieronimus Pieſtriski* morum & ſtudij veſtri Director, cuius ſumma ſemper gloria erit, vos tales in ſpem alteram Poloniæ veſtræ formauiſſe. Ego verò, *Perilluſtres & Magnifici Domini*, vt creſcentem illum virtutis veſtræ & Doctrinæ ſplendorem venerer, opuſculum hoc mei in vos amoris & obſeruantiæ pignus præſento. Vos illud pro Humanitate veſtra, & affectum hunc meum, quo omnia vobis fortunari vehementer exopto, benignè admittite. LovanI, idibus Novemb. CIↃ. IↃC. XLVIII.

ERYCIVS

ERYCIVS PVTEANVS
DE
INSTITVTIONIBVS
OECONOMICIS
VERNVLÆANIS.

Sic cenſeo.

QVÆ ad Triadem deducuntur, abſoluta demum ſunt, ſiue numero, ſiue myſterio. Hominem, Familiam, Ciuitatem, LECTOR, vide; hunc numerum, hoc myſterium agnoſces, doctè, facundè, feliciterque à Clariſſimi nominis Viro NICOLAO VERNVLÆO impleta. In Hominem & Ciuitatem Familia media eſt; poſtremò tradita, vt vel præcipua eſſet, & vtramque perficeret. Non poteſt extra familiam Homo eſſe, niſi Homo eſſe deſinat, ἢ θηρίον, ἢ θεός: tolle Familiam, & Ciuitas pariter non erit. Etenim Ciuitatem, tanquam magnam Familiam; Familiam, tanquam paruam Ciuitatem dixeris; ſed vtramque Hominis cauſsâ. Aliter tamen Familiam regi, aliter Ciuitatem. INSTITVTIONES hæ OECONOMICÆ docent, non minùs pulchræ, quàm vtiles. Pulchræ vel ideò, quia imaginem Ariſtotelis exhibent: vtiles autem, quia à VERNVLÆO accipiunt, quicquid adijcere Ariſtoteli labentia ſæcula potuerunt. Tu qui in Scholâ verſaris, & circa te ipſum occupatus es, hanc quoque Sapientiæ partem familiarem tibi redde; & deprehendes amplius eſſe, Familiam regere, quàm Mores formare: qui in Republicâ, tamen redde; inuenies in Familiâ, quæ ad Rempublicam faciant.

IN ORNATISSIMI VIRI
D. NICOLAI VERNVLÆI
Pub. Eloquentiæ Profeſſ.
INSTITVTIONES
OECONOMICAS.

FRugiferas & quæ patiantur ſæcula plantas
Qui ſerit, ille bonus dicitur agricola.
Tu ſeris vtibiles, & longum ſcribis in æuum
VERNVLÆE *libros; ſic bonus agricola es.*
Tu triplicem vitam ſcripſiſti triplice libro,
Nempè geris triplicem pectore Mercurium.
Hoc libro domus eſt geminâ benè reddita parte,
Nam lar, iſta duo res hominesque tenet.
Quodlibet officium laris iſtis partibus exiſtat,
Ille bonus fiet, qui leget, Oeconomus.
Sic tu cum cunctis, cum paucis viuere ſolum,
Vrbe, domo, ruri, viuere vbique doces.
Os ideò Sophiæ es, calamus quoque; ſcribere perge;
Scripta tua ætates, inuidiasque ferent.
Iam poſthac de te, Doctiſſime VERNVLÆE,
Fama loquens vetus hoc profert, es B. P. N.

ANTONIVS D'AVE Publicus Ethicæ Profeſſor.

PROOEMIVM IN INSTITVTIONES OECONOMICAS

F*Amiliæ adminiſtratorem, quem Oeconomum appellamus, non ſolùm virum eſſe bonum ſingulariq́; præditum virtute, ſed quandam etiam gubernandi artem tenere, neceſſe eſt. Vt nimirum familiam, ſeu domum rectè gubernare regereq́; prudenter poſſit, & in familiæ gubernaculis conſtitutus non ſolùm rerum omnium ad victum neceſſariarum copiam procuret, verùm etiam per certas quaſdam Domeſticæ doctrinæ rationes, & regendæ familiæ dogmata, omnes curæ ſuæ commiſſos ſubditoſq́; ad Reipublicæ felicitatem componat. Et cùm familia ſeu domus Reipublicæ pars ſit, fiat ipſe tam diligens familiæ, peritusq́; gubernator, quam exiſtere aliquando debet bonus Reipublicæ ſeu Ciuitatis adminiſtrator.*

CAPVT I.

Quid ſit Oeconomica, & quid Oeconomia.

Quid ſit Oeconomica.

Vnde dicta.

O*Economica eſt familiæ ſeu domus rectè adminiſtrandæ ſcientia. Domeſticam doctrinam appellare licet. Quippè dicta Oeconomica eſt à Græco vocabulo οἶκος, quod domum ſeu familiam ſignificat; imò etiam bona, facultateſq́;. Vt omninò Ars hæc ſeu diſciplina, à recta ratione profecta, non ſolum familiæ cognoſcendæ præcepta, ſed etiam eiuſdem prudenter tractandæ adminiſtrandæq́; leges doceat & ſubminiſtret. Beata enim & fœlix ea familia eſt, quæ prudentiâ gubernatur.*

Quid Oeconomia.

Hæc familiæ eſt anima.

Oeconomia eſt ipſa legitima familiæ ſeu domus ordinatio. Et hæc familiæ anima eſt, quemadmodum Reipublicæ politia. Nam eſt omnium in domo actionum principium; & vbi Oeconomia deeſt, fieri nihil ex vſu commodoq́; domus poterit.

CAPVT II.

Quæ materia Oeconomicæ, quis finis & quæ vtilitas.

Materia Oeconomicæ.

D*Omeſtica hæc doctrina, quam Oecomomicam appellamus, familiæ ſeu domus adminiſtrandæ modum conſiderat. Igitur eius eſt materia. Vel certè domus aut res familiaris. Quippè Oeconomica in eo tota occupatur, vt quibus legibus familia regi poſſit quæ officia ſint Patris & Matrisfam. Liberorum, Dominorum, Seruorum; quomodo ſingulæ familiæ partes, muniaq́; ſuſtineri, peragiq́; poſſint, doceat ipſa & explanet. Per rem familiarem præter perſonas, res omnes intelligo da domũ neceſſarias, ſocietatem, tectum, ſupellectilem, opes, inſtrumenta & ornamenta: leges item omnium in domo perſonarum, ordines ipſarum virtutes, actiones, poſſeſſiones.*

Finis.

Finis Oeconomicæ, eſt familiæ felicitas, ad quam conſilia omnia ſua & conatus omnes referre Oeconomus debet. Si de proximo agamus fine, is eſt ipſa familiæ regendæ cognitio. Porrò familiæ illa

fælicitas

fælicitas inprimis in prudentia, prouidentiaq́ Oeconomi conſiſtit, tum in rerum copia, quàm in domo eſſe oportet. Sic enim fit, vt non tantum fortunæ ſpectentur, ſed beata etiam vita, quam efficere debet, qui familiam adminiſtrat. Vndè fit, vt huius ſcientiæ magna quoque vtilitas ſit; nam cùm ex ſingularum Reipublicæ totius fælicitas exiſtat, ſummo fructu carere non poteſt, ita familiam ſuam ordinare poſſe, vt beata indè Ciuitas dicatur.

Vtilitas.

CAPVT III.

Quis dicendus ſit Oeconomus, quod officium eius, & quis finis?

OEconomus eſt vir bonus, regendæ familiæ peritus. Seu qui Oeconomicâ doctrina præditus adminiſtrandæ domus vias omnes & rationes tenet. Non ij vero Oeconomi nomine conſeri debent, quos vulgus tamen admiratur qui lucrum vndique aucupantes, diuitias breui tempore accumulant, ac tum rem familiarem præclare ſe geſſiſſe arbitrantur, cum ſupra hominum admirationem & præter omnium opinionem diuites ſunt facti. Vix enim vir bonus eſſe poteſt cuius nimium augentur opes. Eiuſmodi homines tempora captant, & cuiuſuis lucelli occaſiones, nec ſæpe ſatis inter fas aut nefas diſtinguunt; interim dum diuitiæ creſcunt, parum moratá eſt vxor, liberi non liberaliter educati, ſerui effrænes & vitioſi. Nec raro plus opulentiæ domi eſt, quam religionis aut virtutis. Diues is ſatis eſt, qui habet quod ſatis eſt. Prudentem equidem & prouidum Oeconomum eſſe volo, ſed in quo ſimul vitæ probitas ſit, & qui efficere ſuos omnes in familia bonos poſſit, qua exemplo, qua præcipiendo, qua ſingulorum mores formando. Oeconomi officium eſt, familiam ſeu domum benè prudenterq́ regere, ſeu propriam, ſeu alienam. Eâ nimirum ratione, quam Oeconomica docet, & vir bonus probat. Finis eius idem, qui Oeconomicæ, familiæ fælicitas. Quippè Oeconomi eſt conueniens familiæ regimen, ſeu Oeconomiam conſtituere certis legibus, conſilijs, & omnibus prudentiæ rationibus conſeruare, omniaq́ ad domus vtilitatem ordinare, ac dirigere.

Quis Oeconomus.

Quid Oeconomi officium, quis finis.

CAPVT IV.

Quæ & qualis ſcientia ſit Oeconomica?

VT Reipublicæ, ita familiæ adminiſtratio ſine arte eſſe non poteſt. Stare certis legibus etiam domus debet, & quæ in ea ſunt ſocietates, diſciplinâ potiſſimum conſtant. Adeò vbicunque vita beata eſſe debet, ibi diſciplinam eſſe oportet. Doctrina autem Oeconomica tota in actione, opereq́ conſiſtit, id vnum agens, vt in familia prudens ſit Paterfamilias, caſta vxor, & benè morata, filij obedientes, ſerui fideles, diuitiæ tantæ, quantas vſus exigit & ornatus. Vndè non dubium eſt ſcientiam hanc ad Politicam referri, cum prima ciuitatis pars ſit Familia; imo parua quædam Reſpublica ſit familia, in qua Rex eſt Paterfamilias, Regina vxor, filij ciues, ſerui artifices & quaſi milites. Planè quicquid eſt in Domo, Ciuitatis ſpeciem habet. Quæcunque tamen hic morum regula eſt, ab Ethica eſt, quæ prudentiam & caſtitatem docet; item amorem in filios, & in parentes pietatem, omnes denique virtutes, quibus, quæ in familia ſunt ſocietates, firmæ ſunt & perennes. Eæ vbi abſunt, diuortium hic fit & naufragium. Quod ad ordinem attinet, Moralem doctrinam Oeconomica ſequitur, & politicam præcedit. Id enim eſt vel maxime ſecundum naturam.

Dari ſcientiã Oeconomicam.

Eam in actione cõſiſtere.

Et ad Politicam referri.

Sequi autẽ Ethicam & præcedere Politicam.

vt regere

Digitized by Google

vt regere ſeipſum quis diſcat, priuſquã alijs imperare præſumat; tum familiam & domum ſuam, ac tandem Rempublicam. Perſpicuum etiam eſt domeſticam rationem, quam ciuilem origine priorem eſſe, cum prior Ciuitate ſit Domus. Nec quiſquam negabit aptiorem natura hominum eſſe ad coniugalem, quam ad ciuilem ſocietatem.

CAPVT V.

Epilogus Procemij & conſtitutio huius operis.

I*Gitur vt hanc quoque Philoſophiæ partem excolamus, dignam etiam ſummorum ingeniorum commentationibus, etſi pauciſſimi illam ſuis laboribus attigerunt, duobus libris Oeconomicam vniuerſam complectemur, & Inſtitutionum quaſi filum ducentes, de perſonis vno: altero de rebus ad familiam neceſſarijs agemus. Vt nimirum hac quoque opera noſtra, aliquid in regenda familia ij diſcant, qui ad Remp. magnam illam familiam, aliquando ſunt acceſſuri. Sanè regere Remp. benè non poteſt, qui familiam neſcit adminiſtrare. Vitium hoc temporum noſtrorum eſt, quod cruda adhuc ingenia in forum & publica ſubſellia protrudantur, vt iura alijs dicant qui ſibi leges nondum poſuerunt, ordinare Domum vnam non poſſunt. Quod ſi qui militem non egit, agere Imperatorem vix poſſit, Profectò politicus facilè non erit, qui Oeconomus non eſt. Quam ob rem optandum eſt, vt Domeſtica hæc Doctrina Iuuentutis quoque palato arrideat, cui vt ſaliuam moueamus, & guſtum irritemus, opuſculum hoc publicæ vtilitati conſecramus. In quo teſtor Candorem, nolo,*

—— Bullatis vt mihi nugis
Pagina turgeſcat; dare pondus idonea fumo.

Solidum aliquid cupio, & niſi fallor propono. Iterum hic nobis quemadmodum vbique, Iuuentutis vtilitas ſuprema lex eſt.

C E N S V R A.

INſtitutiones Oeconomicæ Eruditiſſimi D. Nicolai Vernvlæi cum ſuis Additamentis perfectam Domeſtici regiminis Doctrinam & praxim continent: Ideoque prælum & publicam lucem merentur. Datum Lovanij die 4. Decem. 1648.

IACOBVS PONTANVS S. *Theol. Doctor & Profeſſor ac Librorum Cenſor.*

P R I V I L E G I V M.

EX Priuilegio mihi à Catholico Rege, Principe noſtro conceſſo, facio poteſtatem Ioanni Vryenborch, Academiæ Louanienſis Typographo jurato, typis ſuis excudendi & devulgandi *Inſtitutionum Oeconomicarum Libros* à me ſcriptos, & nunc primum Sententijs, Teſtimonijs & Exemplis auctos; alijs eorundem editionem intra Decennium inhibens. Datum Lovanij Calendis Decembris CIϽ. IϽC. XLVIII.

NICOLAVS VERNVLÆVS *Hiſtoriographus Regius & Cæſareus, publicus Eloquentiæ Profeſſor Louanij.*

NICOLAI VERNVLÆI
INSTITVTIONVM OECONOMICARVM SEV ELEMENTORVM DOMESTICÆ DOCTRINÆ
LIBER PRIMVS.

TITVLVS I.
De Familiæ Natura.
CAPVT I.
Quid Familia, quæ eius materia, & forma?

FAMILIA eſt naturalis ſocietas hominum ſub eiuſdem Patrisfamilias imperio viuentium ad vſum vitæ quotidianum inſtituta. Eius materia perſonæ ſunt ad Familiam neceſſariæ, vt pater, filius, vir, vxor, dominus, ſeruus: item poſſeſſiones ſeu res omnes poſſeſſæ, quæ tamen non à natura ſunt, ſed à fortuna. Forma eſt ipſa Oeconomia, ſeu recta perſonarum, rerumque in Familia neceſſariarum adminiſtratio bonis legibus temperata, per quam totius Domus ordo conſiſtit. Per hanc enim fit, vt cum perſonæ, tum res poſſeſſæ quoddam vnum conſtituant corpus, vt vitæ communio in Familia reperiatur. Inter Familiam & Domum, quemadmodum hic accipimus, nullum eſt diſcrimen. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 2. *Societas*, inquit, *in omnes dies vitæ conſtituta naturæ conueniens & conſentanea domus eſt.* Et lib. 2. Polit. cap. 2. *Domus res quædam eſt ſuis ipſa copiis contenta magis, quàm homo vnus.* Hinc Heſiodus: *Quid ſit Familia.* *Eius materia.*

Eſto domus primum tibi fœmina, bos & arator.

Bos enim pauperibus pro ſeruo eſt. Charondas, teſte eodem Ariſtotele, Familiam appellabat homines ex eodem penario victum ſumentes. Epimenides autem Cretenſis dicebat homines eſſe vno & communi fumo vtentes. Iſidorus lib. 4. cap. 9. *Domus*, inquit, *eſt vnius Familiæ habitaculum; ſicut vrbs vnius populi, ſicut Orbis domicilium eſt totius generis humani.* Communis conſuetudo hominum pro tabernaculo Domum accipit. Sed ad parietes trahenda hoc loco domus non eſt. Vlpianus *Familiam* eſſe dicit *plures perſonas, quæ ſunt ſub vnius poteſtate, aut natura, aut iure ſubiectæ.* Puta Patremfamilias, Matremfamilias, Filiumfamilias, quique deinceps vicem eorum ſequuntur, vt nepotes & neptes, aliique deinde l. 195. §. 2. ff. de verbor. ſignificat.

Additamentum.

FAMILIA & Domus pro iiſdem paſſim vſurpantur; nomine tamen Familiæ hic vti malumus. Nam Domus Familiæ ſedem ſæpius denotat. Vnde Nonius Marcellus cap. 6. ait Domum conſuetudo hominum tantùm tabernacula dici putat, cùm authoritas & templum & nidos domos dixerit. Et Iſidorus lib. 4. cap. 9. Domus, inquit, vnius familiæ eſt habitaculum, ſicut vrbs vnius populi, ſicut Orbis domicilium eſt totius generis humani. Etiam latibula ferarum domus dicuntur. Hinc Virg. lib. 1. Georgicorum:

—— Sæpè exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit.

Et Lucretius lib. 1. pronidis accipit.

Frondiferaſque domus volucrum, campoſque loquentes.

Familia verò hominum ſocietatem intra eoſdem parietes degentium ſignificat, quemadmodum hic illam definimus. Eſt tamen etiam generale vocabulum; omnis enim familia in ſe gentem & ſtirpem habet; gens præſtat, ſtirps ſequitur. Aliquando pro patrimonio ſumitur, vt apud Terentium in Heauton. act. 3. Scena 1. Vicina illi ſignificatio eſt, quia pro hæreditate accipitur: vnde tituli ſunt apud Iuriſconſultos de familia herciſcunda, cùm à communione diſceditur, & hæreditas in capita diuiditur. Ordinatiè tamen domus pro familia capitur. Hinc illud Geneſis c. 38. Iuſtum eſt, vt aliquando prouideam domui meæ id eſt familiæ. Quanquam non res familiares tantùm intelligenda, ſed etiam proles ſeu liberi. Eſt verò familiæ prima ſocietatum iunctarum è ſimplicibus compoſita ſecundùm naturam in omnes Dies & ad vſum quotidianum. Conficitur enim è ſimplicibus duabus, vt ait Ariſtoteles, idemque probat auctoritate Heſiodi, qui primam domus iubet eſſe curam, hoc eſt vxoris & bouis.

CAPVT II.

Quæ perſonæ ad Familiam neceſſariæ.

Maritus Vxor, liberi, ſerui. NOn expreſſit Philoſophus. Cùm autem Iuriſconſultus in l. Neratius. ff. de verb. ſignif. tres collegium facere dicat, dici idem de familia iure poteſt, paucioribus eam, quàm tribus perſonis, non conſtitui, etſi duabus conſeruetur. Sanè duos Familiam non facere tradit Vlpianus. Communiter verò in Familia maritus, vxor, liberi, ſerui requiruntur. Vnde Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 3. *Domus*, inquit, *perfecta atque integra, ex ſeruis & liberis conſtat.* Liberi ſunt, qui ingenui, vt Paterfamilias, Materfamilias, eorumque filii & filiæ: ſeruorum nomine famuli & ancillæ cenſentur.

Quæſtiuncula. *An Familia dici poſſit, vbi non ijdem ſunt parietes ſeu tectum idem?* Equidem communiter Familia hominum intra eoſdem parietes degentium ſocietatem ſignificat, habuerunt tamen etiam familias ſuas olim Scythæ, etſi non tecta, aut ſedes, ſed plauſtra, de iis Horatius lib. 3. Od. 24.

—— Campeſtres melius Scythæ
Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos

Habuerunt & Saraceni, qui ſine lare, ſine ſedibus fixis aut legibus, vt teſtis eſt Ammianus lib. 14. per ſpatia longè lateque diſtantia errabant. Habuerunt & Nomades, de quibus apud Pomponium Melam lib. 2. cap. 1. qui pecorum pabula ſequebantur, atque vt illa pecori durabant, ita diu ſtatam ſedem agebant.

Additamentum.

D. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 11. In viro & muliere, ait, domus videtur quædam plena eſſe perfectio; qui ſine vxore eſt, quaſi ſine domo ſit, ſic habetur. Sicut enim vir publicis officijs, ita mulier domeſticis miniſterijs habilior æſtimatur. Hierocles lib. de Nuptiis, idem propemodum dicit. Bodinus lib. 1. cap. 2. Cùm ad Collegium, inquit, tres perſonæ ſint neceſſariæ, totidem in familiam præter Patrem & Matrem requiri. Ex quo fiat, vtcumque perſonis integra familia conſtet. Sed Ariſtoteles & Achomenici certum perſonarum numerum ad familiam

liam

Digitized by Google

liam non definiunt. Hanc ob cauſam aliqui familiam definiunt eſſe plures perſonas, quæ ſunt ſub vnius poteſtate aut natura, aut iure ſubiectæ. Aliqui eſſe rectam gubernationem eorum, qui ſub vnius patrisfamilias imperio continentur.

Eccleſiaſticus cap. 36. Qui poſſidet mulierem bonam inchoat poſſeſſionem; adiutorium ſecundum illum eſt, & columna & requies. Videntur ergò ad familiam requiri maritus, vxor, liberi, ſerui; adde & rem familiarem.

CAPVT III.

Cauſa efficiens Familiæ, & finis.

POrrò Familiæ conſtitutio à Deo eſt & Natura. Quippè Deus viro & fœminæ eum amorem inſeuit, vt viuere ſimul velint, & indiuiduam vitæ ſocietatem inire, cùm vt ſe mutuo auxilio iuvent, tum vt genus ſuum propagent ac conſeruent. Ab hac autem prima maris & fœminæ ſocietate initium Familia ſumpſit, quæ Reipublicæ ſeminarium eſt. Atque inde factum eſt, vt hoc amore firmam vitæ conſuetudinem inducente, eadē vti menſâ ceperint, & ad eundem ſedere focum, & res inter ſe communes habere. Idem ille naturalis amor liberorum eſt cauſa, qui parentibus ſuccedunt, & Familiam perfectam reddunt. Facit enim vt animalia, ac potiſſimùm homines, ſeſe tueantur, generent, & educent. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 2. *Neceſſe eſt primum eos coniungi & copulari, quorum alter ſine altero eſſe non poteſt, vt marem & fæminam procreationis causâ; atque hoc non ex conſilio proficiſcitur ſed quemadmodum in aliis animantibus & ſtirpibus naturale eſt, tale alterum, quale ipſum ſit, cupere relinquere.* Ibidem. *Copulantur naturâ id quod imperat, & in quo imperio paret propter ſalutem.* Libro autem primo Oeconomicorum, *Non in hoc tantùm,* inquit, *maris & fæminæ coniunctio efficax eſt vt vita propagetur, ſed vt benè etiam degatur; & liberorum procreatio non pertinet tantùm ad explendum munus naturæ, ſed ad vtilitatem quoque. Quem laborem enim valentiores infirmioribus impendunt, eius fructum recipiunt affecti in ſenectute à valentioribus. Simul etiam ipſa natura hoc circuitu complet perpetuitatem vitæ, ſpecie nimirum, cùm nequeat numero.* Gregorius Tholoſanus lib. 1. de Republica ita ait. *Prima diuiſio ſeu diſtinctio populi, vt hominum perſonalis ſingularum perſonarum eſt; ſexus ab homine primo creato Adamo, à cuius vnitate numerus aliorum pendet, è latere priùs producta coniuge Eua, & ex utroque generatis reliquis mortalibus. Subinde ſecunda diſtinctio generantium & generatorum & ætatis: dehinc mortuis primis generantibus relictis filijs ſingulis ceperunt à ſe genitos ſeorſim procurare, & inde ſecuta diuiſio per familias ſeu domos, quarum numero continentur & filij, ſerui, ancillæ, & poſteà clientes.* Vlpianus lib. 1. Inſtitut. *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Hinc deſcendit maris atque fæminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio.* Ex his omnibus facilè patet à natura familiam eſſe.

Finis Familiæ non vnus eſt, ſed plures; quippè in ea plures ſunt ſocietates. Inprimis verò conſeruatio generis, vſuſque vitæ quotidianus, tum ipſa Reipublicæ fælicitas, ad quam ordinatur Familia, cuius bonum eſt Ciuitas: Generatim tamen Familiæ fælicitas eiuſdem eſt finis. *Finis familiæ.*

Additamentum.

DEus & Natura efficientes Familiæ ſunt cauſæ. Deus enim in mundi exordio Evam Adamo copulauit, vt in propagandis generis humani familiis vniuerſis viri ſocia eſſet & adiutrix. Hinc illud præceptum geneſis cap. 2. Relinquet homo Patrem ſuum & Matrem & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. D. Auguſtinus lib. de Bono Coniugali. Quoniam, inquit, vnuſquiſque hominum humani generis pars eſt, & ſociale quiddam eſt humana natura, magnum-

que habet, & naturale bonum, Vim quoque amicitiæ; ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in ſua ſocietate non ſola ſimilitudine generis, ſed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ ſocietatis copula vir & vxor eſt, conſequens autem eſt connexio ſocietatis in filijs.

CAPVT IV.

Quæ & quot Societates in Familia reperiantur?

Tres in familia res.

IN omni perfecta Familia tres ſimplices reperiri Societates eſt certum. Prima eſt viri & vxoris ſocietas. Hæc nuptialis dici poteſt, etſi, vt inquit Ariſtoteles libro primo Politicorum capite tertio, vxoris & viri coniugatio nomine careat. Eius cauſa eſt, inprimis generis humani conſeruatio. Secunda eſt Patris & Filij, quæ propter rerum ſucceſſionem inſtituitur. Tertia eſt Domini & Serui, quam perſonarum ordo facit. Ex his ergò tribus Familia naſcitur, quæ eſt mixta quædam ſocietas ad priuatos humanæ vitæ actus, quales ſunt, eadem vti menſâ, ad eundem ſedere focum, ordinata. Qui enim in eadem Familia ſunt coniuncti, participes & conſortes eiuſdem foci cibique dicuntur. Nec eadem eſſe poteſt coniugalis paternaque ſocietas, cùm vxor in procreatione finem ſuum conſequatur, filius autem in ſucceſſione. Duæ verò illæ ſocietates, vt integra coaleſcat Domus, neceſſariæ ſunt. Ariſtot. lib. 2. Polit. c. 3. *Primæ autem & minimæ partes ſunt Domus, Dominus & ſeruus, vir & vxor, pater & liberi.* Per eas legitima ſobolis propagatio continuaque hominum ſucceſſio; ſine qua ſtabiliri Reſp. non poteſt, habetur. Tertia demùm inter Dominum & Seruum ſocietas vel idcircò eſt, vt quæ rei Domeſticæ Familiariſque neceſſaria ſunt, comparentur. In quorum acquiſitione opus eſt, vt imperet vnus, alter imperata exequatur; hoc ſerui munus eſt, illud domini. Omniũ communio ad quotidianam Domus vtilitatem, quæ in vnamquamque diem conſtituta, refertur. Viri quidem & vxoris ad regendum, Domini autem & ſerui ad neceſſaria comparandum.

Cauſæ ſingularum.

Primam omnium ſocietatem Deus Geneſis c. 2. inſtituit his verbis *Relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* D. Auguſtinus lib. de coniugali bono, *Quoniam*, inquit, *vnuſquiſq; homo, humani generis pars eſt, & ſociale quiddam eſt humana natura, magnumq́ habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ, ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere*, &c. vt ſuprà.

Additamentum.

REperiuntur tres, viri & vxoris, patris & filij, domini & ſervi. Tunc enim perfecta dicitur familia ratione perſonarum, quæ omnes ſocietates ſimplices complectitur, & tanto quidem perfectior, quanto maior liberorum numerus, & ſeruorum multitudo. Perfecta autem ratione finis eſt, quæ ſatis habet perſonarum & rerum ad paranda neceſſaria vitæ ſubſidia; quæ perfectio tamen & ipſa ſuos gradus habet ſuamque latitudinem. Imperfecta eſt, quæ deficit, ratione perſonarum vel ipſius finis. Perſonarum quidem; nam fieri poteſt, vt nulli ſint in familia liberi, vel ſerui, aut etiam vxor nulla. Ratio ne finis autem, quia non rarò & perſonarum paucitas & rerum tenuitas in cauſa eſt, vt familiares egere coguntur.

CAPVT V.

Quænam trium in Familia ſocietatum ſit præſtantiſſima?

Eſt coniugalis.

EſT ſanè coniugalis. Hæc enim verè naturà conſtat, & ad id, quod cæteris etiam animalibus conſpicitur naturâ inditum, ordinatur; nimirum vt ſimilem ſibi ſpecie naturaque poſt ſe relinquat; & cum in ſe immortalitatem perpetuamque conſequi vitam non poſſit, in ſpecie ſaltem conti-

continuaq́ue hominum ſucceſſione hanc immortalitatis conditionem aſſequitur. Quod & cæteris animantibus rationis expertibus eſt commune, quibus nullam natura poſſeſſionem aut diuitiarum ſollicitudinem ingenerauit. Volatilia enim cœli, oraculo diuino teſte, neque metunt, neque in horreum colligunt. Ex hac etiam ſocietate filij exiſtunt omnibus omninò diuitijs antehabendi, in quibus viua parentum Imago perdurat. Hierocles lib. 1. de nuptijs, vt refert Iacobus Simancas, *Prima*, inquit, *& præcipua ſocietas eſt, quæ per nuptias initur, ac Domus ſine nuptijs manca eſt.*

Quæſtiuncula de perfecta familia.

Quænam igitur perfecta & abſoluta diei Familia poteſt? Ea certè, quæ ex tribus conflatur ſocietatibus, Coniugali, Paterna, *D*ominica, & inſuper poſſeſſiones habet. Quæ paucioribus conſtat, imperfecta eſt, & non integra *D*omus. Vbi *D*ominus ſeruuſq́ue non reperitur, acquirendæ poſſeſſionis inſtrumentum deeſt. Et cùm poſſeſſio ad vitam quotidiè degendam, ſubminiſtrandaq́ue vitæ alimenta ſit perquam neceſſaria, ſi non adſit, abſoluta & felix eſſe Familia non poteſt. Quippè ali vir & vxor, liberi, ſeruiq́ue ſine poſſeſſionibus non poſſunt, neque etiam Familiæ prouidetur. Quando tamen *D*ominus & ſervus ſedulam præſtant operam, & ſuo funguntur officio, non exiguæ interdum poſſeſſiones acquiruntur. Vbi in thoro maritali ſterilitas exiſtit, nullaq́ue contingit ſoboles, magna certè familiæ pars deeſt. *D*omum enim filij perficiunt, complent, abſolvunt.

Additamentum.

EST coniugalis. Nam vt ait Muſonius, Nuptiæ principium ſunt conſtitutionis familiæ. Quiſquis igitur homines nuptijs priuat, is abolet familiam, ciuitatem & totum genus humanum, quod abſque generatione non poteſt permanere; neque iuſta & legitima generatio eſt ſine nuptijs. Vlpianus lib. 1. Inſtitutionum. Ius naturale eſt, inquit, quod natura omnia animalia docuit. Hinc deſcendit maris atque fœminæ Coniunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio. Cùm igitur à Coniugali ſocietate omnes reliquæ quodammodo fluant, ipſe prima eſt & præſtantiſſima. Deinde primus hominis appetitus eſt ad hanc ſocietatem; imò etiam in animantibus brutis & planus cõmunis eſt appetitus relinquendi tale quiddam, quale eſt ipſum. Ariſtoteles lib. 8. Eth. c. 12. Hominem ait Natura magis appetere coniugalem ſocietatem, quàm ciuilem. Et 1. Phyſic. cap. vlt. Imperfectum ait, qualis fœmina, naturaliter appetit ſui perfectionem, quæ in mare. Interim tamen in homine, qui eſt particeps rationis, non vagus eſt hic appetitus, & omni lege ſolutus, vt in beſtiis, ſedamus iudicio & conſilio legibuſq́ue diuinis & humanis dirigitur.

TITVLVS II.

De Patrefamilias.

CAPVT I.

Quid Paterfamilias, quod eius imperium?

Definitio Patrisfamilias.

PATERFAMILIAS eſt ſummum familiæ caput, cuius nutu omnia conſtituuntur gubernanturq́ue. Quod enim in Republica Magiſtratus eſt, vel in naui gubernator, aut in exercitu Imperator, hoc in Familia Paterfamilias eſt. Nec eſt alius tamen in *D*omo, quàm maritus, pater, *D*ominus. Cui enim hæc nomina conueniunt, is Familiæ caput, ſeu Paterfamilias. Illi vxor opem & auxilium debet, liberi amorem & obſeruantiam, ſerui fidelitatem & obſequium, omnes honorem. Eius imperium triplex eſt. Ac inprimis ciuile in vxorem, quàm vt liberam, ſociam ac ciuem, non vt ſeruam & mancipium, nec pro ſua libidine regit. In filios deinde regale eſt, quibus pro arbi-

Eius imperium.

trio ſuo præeſt, ſalva naturæ & æquitatis lege. Neque enim è vita tollere filios poteſt. Tum in ſeruos herile eſt, quibus vt inſtrumentis vtitur certo tamen modo: quippè abuti iis, aut etiam vitâ privare non poteſt. Ariſtoteles lib. 1. Politicorum cap. 7. *Domeſticum quidem imperium Monarchia: Domus enim vnius imperio regitur.* Et cap. 12. *Vir in vxorem & in filios imperium habet, atque in vtroque ſanè, vt in perſonas liberas, verum non eodem genere imperat; ſed in vxorem quidem ciuiliter, in filios verò regiè: nam & mas ad obtinendum principatum aptior eſt, quàm fœmina naturâ.* Et lib. 3. cap. 6. *Imperium autem in liberos & in vxorem, & in omnem Domum, quod appellamus Oeconomicum, id eſt, res familiaris adminiſtrationis proprium, aut eorum quibus imperatur gratia eſt, aut communem quandam vtrorumq; vtilitatem ſpectat.* Seneca Epiſtola 47. *Ne illud quidem videtis, quam omnem inuidiam maiores noſtri Dominis, omnem contumeliam ſeruis detraxerint? Dominum Patrem familiæ appellauerunt; ſeruos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares.* Vnde Tertullianus, *Gratius eſt nomen pietatis, quàm poteſtatis; etiam familiæ magis Patres, quàm Domini vocantur.* Socrates apud Xenophontem lib. 3. Memorab. *Equidem*, inquit, *aio eum, qui ſciat quibus opus ſit, eaque comparare poſſit, cuicunque tandem rei præſit, bonum præfectum eſſe, ſiue choro, ſiue familiæ, ſiue ciuitati, ſiue exercitui præſit, vbi primum eſt, quod in Patrefamilias requiritur, vt ſciat præeſſe.*

Additamentum.

DEFINITVR hic Paterfamilias, & triplex eius imperium ſtatuitur, nimirum in vxorem, in liberos, in ſeruos. Eſt Paterfamilias velut lapis in fornice, qui dicitur Vmbilicus, & totam molem ſuſtinet cameramque firmat; omnes enim in familia coniungit, & in eo, tanquam in centro omnes domeſtici conueniunt. Quanta ſit hæc Patrisfamilias poteſtas, in ſingulis poſtea titulis dicetur. Certum verò eſt virum in vxorem ſuam poteſtatem habere, quam ab ipſo coniugij authore Deo accepit. Dicitur enim de vxore Geneſis c. 3. Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. Eſt etiam ea poteſtas Iuris naturalis, & ciuilis; adeò vt in omni Iure extra controuerſiam ſit, quod vxor marito ſuo in omnibus rebus honeſtis & licitis obedire teneatur. Olim apud Lacedæmonios lex fuit, vt in mariti poteſtate eſſet vxor, ne contempto marito ad patris domum rediret, teſte Plutarcho in Laconicis. Vnde rogata Lacæna an conſentire vellet adultero concubitum petenti, reſpondit, Cùm puella eſſem, didici parenti parere, & hoc egi; mulier autem viro. Huic ergò, ſi iuſta roges, manifeſtum faciaſ primum. Per hanc poteſtatem maritus præſtare vxori quoque debet tutelam, patrocinium, defenſionem. Poteſtas patris in liberos in pietate, non in atrocitate conſiſtit. Quippè illi moderata & ratione temperata liberorum caſtigatio relinquitur, non ius vitæ ac necis. Si gravius fortè delinquat filius, eum iudici ſententiam dicturo corrigendum offeret. Ita Ciuili iure conſtitutum eſt. De poteſtate in ſeruos dicetur titulo 5.

CAPVT II.

Quod ſit Patrisfamilias Officium?

Officium Patrisfamilias. OFficium Patrisfamilias eſt, ea omnia comparare, quæ Familiæ, ſeu Domeſticorum vſibus inſeruiunt, ſingulis quæ agenda ſunt præſcribere, quomodo agendum ſit docere, inque agendo regere. Partes autem officij Oeconomici hæ deſignantur à Xenophonte lib. 3. Memorab. *Partes officij.* 1. Subditos ſibi morigeros & obſequentes reddere. 2. Singulis, quod facere debeant, imperare. 3. Omnium beneuolentiam ſibi comparare. 4. Malos punire, & præmijs bonos afficere. 5. Socios & coadiutores adſciſcere. 6. Res ſuas diligenter cuſtodire. 7. In munere obeundo curam ſuſcipere, & laborum eſſe tolerantem. Plura paulò pòſt in præceptis Oeconomicis. Idem Xenophon in Oeconomico Ducis apum exemplo Oeconomi officium propo-

proponit. *Nam quod illa in aluetari exercet*, *nobis*, inquit, *munus incumbit. Illa quidem apes in otio eſſe non ſinit, ſed quas oportet, ad opus extra mittit, importataq́ ab ijs recipit ac ſeruat donec tempus vſus veniat, quæ æquè omnibus diuidit. Jntus fauis incubantibus ipſa præſidet, vt pulchrè ac celeriter conficiantur; partus vti nutriantur, curat, quos cum iam adultos operique aptos viderit, alio tranſmittit; ac tanquam in colonias cum Duce mittit.*

Additamentum.

PArtes omnes officij Patrisfamilias ſeu Oeconomici hic ſunt deſcriptæ, & illæ magnæ, vt non immeritò Pheraulas apud Xenophontem dicit, Neſcis me & edere & bibere & dormire, ne tantillo quidem nunc ſuauius, quàm quo tempore pauper eram? Hoc lucri ex hac copia rerum facio, quod mihi plura ſint conſtituenda, plura alijs diſtribuenda. Plurium habenda cura cum negotiorum moleſtijs; ſiquidem multi à menſa famuli cibum petunt, multi potum, multi veſtem; egent medicis alij; alia vel oves à lupis laniatas, vel boues in præcipitium actos, vel morbo pecudes correptas narrat.

CAPVT III.

Præcepta Patrisfamilias ſeu Oeconomo ſeruanda.

I OMnium actionum initium à Deo Paterfamilias ſeu Oeconómus ducat. Cyrus apud Xenophontem lib. 1. *Enumero*, inquit, *vel ideò vos puto non parum confidere, quod nihil aggrediar Deorum cultu neglecto. In multis enim mihi teſtes noſtis, quemadmodum non ſolùm in magnis, verum etiam in paruis ſuſcipiendis, à Deorum inuocatione ſemper ordiar.* Multò verò id facere magis Chriſtiani debent, quo certiùs ſciùnt à vero Deo auſpicata omnium rerum eſſe principia conſtantes decurſus, & optatos exitus. *A Deo initium ducere.*

II. Perſuaſum habeat non eum eſſe bonum Oeconomum, qui multum poſſidet, ſed qui poſſeſſis rectè vtitur. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 13. *Dominum eum eſſe*, ait, *non qui poſſidet, ſed qui ſeruis vtitur.* Idcircò vt idem ibidem eſt teſtis, apud Syracuſanos olim ludum quidam aperuit, & acceptâ mercede pueros obuia miniſteria docuit, vt intelligerent, quomodo familiam adminiſtrare aliquando deberent. *Rectè poſſeſſis vti.*

III. Sit vel inprimis prouidus, & quod facere opportuno tempore poteſt, in aliud numquam differat. Prouidentia neceſſaria eſt omninò in Oeconomo virtus. Hinc illud Pythagoræ ſymbolum. *Jn Chœnice non eſſe ſedendum*, Seu, *Chœnice ne inſideas*, quo monet ex æquo præſentium & futurorum habendam eſſe rationem & curam. Clearchus enim Chœnicem hemerotrophum, hoc eſt, diurnum cibum & demenſum, quod impenditur alicui in dies, interpretatur. Recentiores Latini ſportulam & ſalarium appellant. Aliqui menſuram eſſe volunt quaterni ſextarii. Cuncta igitur ad regulam & menſuram dirigere oportet, & vt nihil deſit in futurum, prouidere. Veriſſimum eſt illud Plinij lib. 18. cap. 6. *Prætermiſſa fruſtra reuocari.* Vbi eum malum Patremfamilias eſſe ait, quiſquis interdiu faceret, quod noctu poſſet. D. Paulus 1. ad Timotheum cap. 5. *Si quis autem ſuorum, & maximè Domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Idem ad Corinthios cap. 14. *Nec enim debent filij parentibus theſauriſare, ſed parentes filijs.* Prouerbiorum 30. cap. *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formica populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi; lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum; Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas; ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Plura ibidem & ſequenti capite. *Prouidum eſſe.*

IV. In tabulas omnia referat, vt accepti & expenſi ratio conſtet. Apud Romanos

In tabulas omnia referre. manos frugi Paterfamilias non habebatur, qui tabulas negligeret, ex quibus non rarò ſcelera probantur, ut videre eſt apud Ciceronem Orat. pro Cluentio. Hinc Seneca luxurioſo diligenti, ait, conſtare rationem impenſæ. Ita ea ratio apud Romanos inſtituebatur, vt accepti & expenſi paginæ ſibi opponerentur, & in vtriſque, præſertim tamen expenſi paginis cauſæ notarentur, præmiſſis præfatiunculis quibuſdam, quas λόγια Græci appellant. Iulius Cæſar, teſte Suetonio, cap. 48. Domeſticam diſciplinam in paruis & maioribus rebus diligenter adeò ſeuereque rexit, vt piſtorem alium, quàm ſibi, panem conuiuis ſubijcientem, compedibus vinxerit.

V. Det operam, vt quam minimum ſit impendij. De Catone refert Plinius lib. 18. c. 5. quod cùm is interrogatus eſſet, quis eſſet certiſſimus quæſtus? reſponderit, *Si benè paſcas*, quis proximus? *Si mediocriter paſcas*. Is maximus fructus probatur, qui quam minimo im pendio conſtaret. Idem eodem libro, cap. 6. *Præcipiebant autem iſta*, inquit, *qui triumphali viro denas argenti libras crimini dabant*. Inde oraculum illud, *Nequam agricolam eſſe, quiſquis emeret, quod præſtare ei fundus poſſet*.

Præſcribere agenda & adeſſe intereſſe. VI. Domeſticis ſingulis, quæ agenda ſunt ex officio præcipiat; & vt omnia felicius ſub manu ſuccedant, ipſe porrò interſit nonnunquam operi, ſuaque opera opus promoueat. Dicere poſſe Oeconomus debet, quod Braſidas apud Thucydidem lib. 5. *Ego oſtendam me eum eſſe, qui non magis alios officij ſui moneam, quàm qui ipſe factis eadem præſtem, ad quæ illos verbis hortor*. Antigonus Secundus, teſte Plutarcho, nauali prælio cum Ptolomæi exercitu congreſſurus, dicenti gubernatori multò eſſe plures hoſtium naues. *Me verò ipſum*, inquit, *præſentem, quàm multis comparas?* Veriſſime reſponſum Regi cuidam, *Oculus Domini, quam citiſſimè equum pinguem reddit*. Atque id obtinere in omnibus ferè alijs debet. Homerus.

Sedula ni famulos vrget præſentia Regis,
Nil quod opus factu eſt, ignaua hæc turba ſequetur.

Veſpaſianus, teſte Suetonio capite octauo, cùm Capitolium reſtauraretur, ruderibus purgandis manus primus admouebat, ac ſuo collo quædam efferebat. Vnde Oeconomi ſeu Patrisfamilias hac in parte officium eſt, adeſſe laborantibus, illos hortari, alios increpare, diligentibus dona proponere; duplicia architectis, alia ſeorſim artificibus, miniſtris & operarijs rurſum alia, circumire omnia, & ſeſe laborantibus oſtendere, non nunquam fatigatis ſuccedere. Vide Diodorum lib. 14. Biblioth. de Dionyſio. Nimirum vt ait Claudianus:

—— Tum promptius ibunt
Te ſocio, tum conſpicuus, gratuſque feretur,
Sub te teſte labor.

Cautio tamen hic eſſe debet, vt Paterfamilias ad viliſſima quæque ſe non demittat, ſuique loci ac conditionis ſit memor.

Cum ſeruis non ludere. VII. Cum ſeruis ſuis aut ancillis nunquam ludat. Hoc præceptum eſt ex Athenæo lib. 6. quod ex ea familiaritate contemptus naſcatur, & eiuſmodi exemplo ſerui ad inertiam delitiaſque inuitentur.

Amari à vicinis. VIII Studioſè, vt à vicinis diligatur, procuret. De amore vicinorum conciliando præceptum eſt Catonis, *Id agendum, vt diligant vicini*, quod humaniſſimum & vtiliſſimum eſſe ait Plinius.

Parſimoniam ſeruare. IX. Omnibus ſcrinijs, cadis, cellis penuarijs inſcribi curet, *Sera in fundo parſimonia*. Ita præcipit Seneca. Scire quippè Oeconomus debet tamdiu amicos eſſe, quamdiu res eſt familiaris. Vnde plautus, *Si res laſſæ labant, amicitiæ collabaſcunt*. Et Ouidius lib. 2. Triſt. Eleg. 8.

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Neque

Neque olim ad longa ſubſellia admittebantur, nec admitti hodiè deberent, qui rei familiaris naufragium & iacturam ſuâ culpâ vel prodigalitate fecerunt. Solon vnus è ſeptem Sapientibus in conuiuio apud Plutarchum, felicem eam Familiam prædicat, in qua ſumptus ita fiunt, vt nulla poſt pœnitentia conſequatur.

X. Talem ſe domi præſtet, qualem eſſe eum foris leges volunt. Biantis hoc præceptum eſt, qui in illo Sapientum conuiuio fortunatam eam Familiam aſſerit, in qua talem ſeſe domi Dominus præſtat, qualem eſſe foris leges volunt. Regere enim domum non poteſt, qui ſeipſum non antè regat. Ariſtot. in Oeconomicis ſuis, non ſolùm diligentiam in Domino requirit, verùm etiam exemplum flagitat. *Tutum certè non eſt*, vt Poëta ait, *ſeruum domi meliorem alere*. Et Mimus affirmat, *illum Dominum minus, quàm ſeruũ eſſe, ſeruos qui timet. Regere alios vix poteſt, qui vir bonus non habetur.*

Virum etiam domi bonum eſſe.

XI. Credat Dominum non ex domo, ſed ex Domino Domum eſſe æſtimandam. Anacharſis in eodem apud Plutarchum conuiuio *Domus* felicitatem in habitantium felicitate conſiſtere cenſet, non in ædificiorum ſplendore, aut externarum apparatu rerum. Ciceronis autem eſt dictum, *non ex Domo Dominum, ſed ex Domino Domum eſſe æſtimandam.* Vnde non immeritò deriſus à Socrate Archelaus fuit, quod cum magnificentiſſimã innumeris ſumptibus *Domum* exædificari curauiſſet, verum negligeret, multi in Macedoniam *Domus* illius viſendæ gratia proficiſcerentur, ipſum autem Archelaum videre nemo cuperet, niſi fortè donum aliquod expectaret.

Ex Domino Domũ æſtimandam eſſe.

XII. A pluribus ametur ipſe, quam timeatur. Cleobulus in illa Plutarchi menſa *felicem illam Domum eſſe*, ait, *in qua Dominus à pluribus amatur, quàm metuitur.* Nemo enim boni quicquam in Oeconomia efficere poteſt, qui moroſus eſt, & auſterus. Fidi ſerui nec naſcuntur, nec coguntur, ſed beneuolentiâ parantur. *Diuturni* officij magiſter non eſt metus.

Amari potius quàm timeri.

XIII. Rem ſuperuacaneam nullam requirat, neceſſariam nullam deſideret. Pittaci hæc ſententia eſt, qui & nimias opes abeſſe vult, & neceſſarias requirit. Sunt enim ad res gerendas magna inſtrumenta opes, & ad vitam ſuſtentandam planè neceſſariæ. Iſocrates duobus nominibus expetendas diuitias eſſe cenſet, vt amicis inopiâ laborantibus ſubveniamus, & nos ipſos, ſi ſic fortuna tulerit, ex aduerſis caſibus liberemus. Vix amicitia dignus hodiè iudicatur, niſi qui à re domeſtica probè inſtructus paratuſque fuerit.

Neceſſaria tantum deſiderare.

Plura alia ſuis locis ſuggeremus; hæc ſuggeratim ſunt obſeruanda.

Additamentum.

PRimum eſt à Deo initium ſumere. Is enim eſt optimus Ordo, inquit Nazianzenus, in omni tum ſermone, tum opere inſtituendo, vt à Deo incipias, & in Deum pariter deſinas. Hinc illud vulgatum, Ab Ioue principium. Qui mos vſitatus olim apud Oratores fuit, vt Numinis invocatione inciperent. Etiam qui Senatum ingrediebantur de Republica deliberaturi à Numinis cultu initium ſumebant.

II. eſt, Rectè poſſeſſis vti. Quippè non in poſſidendo, quod cuiuſvis eſt, ſed in vtendo, quod prudentium eſt, Oeconomici virtus & ſcientia cernitur.

III. eſt, Prouidum eſſe. Hinc Seneca Epiſtola 64. Agamus bonum Patremfamilias, faciamus ampliora, quæ accepimus: maior iſta hæreditas à me ad poſteros tranſeat. Deinde curæ Patrisfamilias tota domus incumbit, & ab eo, quæ neceſſaria ſunt omnibus, expectantur. Imò vulgò omnes bonum illum Oeconomum eſſe exiſtimant, qui prouidus ſit, & in tempore, de rebus neceſſarijs familiæ ſuæ prouideat.

IV. eſt. Omnia in tabulas referre. Idcircò M. Antonius Orator olim bonus Paterfamilias habitus non eſt, quod tabulas negligeret, neque accepti expenſique rationem haberet. Poſſidonius in vita Diui Auguſtini. Nunquam claues, inquit, nunquam annulum in manu habens, ſed ab iiſdem Domus præpoſitis cuncta & accepta & erogata notabantur, quæ anno completo eidem recitabantur, quo ſciretur

tur, quantum acceptum, quantum diſpenſatum fuiſſet in multis titulis, magis illius præpoſiti domus fidem ſequens, quã probatum manifeſtatumq́ue cognoſcens.

V. eſt, vt minimum ſit impendii. In eo erat tota Veterum Romanorum cura domeſtica, vt videre eſt apud Plinium lib. 18. cap. 6. Et certè qui impendij curam non habet, ſerò vltimum eſſe in fundo numinum conqueritur. Magnum vectigal paſſimonia eſt, inquit Cicero in Paradox.

VI Præſcribere agenda & operi intereſſe. Diodorus lib. 14. Bibliothecæ loquens de Dionyſio ſic ait. Magnam ſpectantibus admirationem mouebat, quod certatim omnibus munus exequi demandatum erat. Aderat quoq́; nunc his, nunc illis ad omnes per littus partes Dionyſius, ſtudiaq́ue laborantium, alios hortando, alios increpando adiurabat: Magna inſuper dona labore & opera vincentibus proponebat, duplicia architectis, alia ſeorſim artificibus, tum rurſus operarijs ac miniſtris alia; nec mora cuiquam, nec intermiſſio fiebat. Ipſe cum amicorum caterua ſingulos dies operi incumbere, omnia circumire, ſeſe laborantibus oſtendere, nonnumquam ſui miniſterio corporis in operam fatigatis ſuccedere: poſtremo imperii Maieſtate ſepoſita inter opera verſari, nihil grauioris, nihil vulgaris miniſterij recuſare; tum laborioſa interdum ſubeundo cæteros ad ſimilem tolerantiam promptos reddere. Quare magna certantium inter ſe ſtudijs contentione opus prouehebatur; nonnulli quoque laborem diurnum in partem noctis trahere; tanta ſtudij oſtentandi, ducendiq́ue operis ambitio multitudinem inuaſerat; ita ſcilicet inflammantur gnaui, ignauis verò ſtimuli ſubduntur.

VII. Cum ſeruis non ludere. Familiaritas enim domini minuit eiuſdem apud ſeruos reuerentiam; nec ſatis ad laborem intentus eſt, qui videt ſibi licere per dominum ab opere feriari.

VIII. Amari à vicinis. Id Cato præcepit, de quo iterum alibi dicemus.

IX. Parſimonium ſeruare. Horatius lib. 3. Od. 16.

Contracto melius parua cupidine
Vectigalia porrigam
Quam ſi Mygdonijs Regnum Haliattici
Campis continuem.

Vnus enim modus eſt opes augendi, opibus parcè vti, & ſumptibus nun neceſſarijs parcere.

X. eſt. Virum bonum etiam domi ſe præſtare. Sicut enim in Republica cæteris melior eſſe debet, qui imperat; ita qui familiæ præeſt, melior eſſe familiaribus debet, vt non tam mandato ducat, quàm exemplo.

XI. eſt. Ex Domino Domum æſtimandam eſſe. Quippè Domus non ex re familiari, ſed ex regimine æſtimatur, in quo Oeconomia eſt.

XII. eſt. Amari potius, quàm timeri. Id ad Reipublicæ formam, cuius duo eſſe fulcra Politici tradunt, Amari & timeri; ſed ita, vt amor timorem non excludat, nec timor amorem.

XIII. eſt. Neceſſaria tantùm deſiderare. Hinc commune præceptum eſt Oeconomicorum, Emendum non quod opus eſt, ſed quod neceſſe. Qua de re libro 2. dicemus.

CAPVT IV.

An Paterfamilias ſurgere ante alios mane debeat, & vltimo veſperi decumbere?

Surgere ante, & decumbere poſt omnes debet.

DOmus omnis Reſpublica quædam eſt parua. Quemadmodum igitur in hac neceſſaria Magiſtratus eſt vigilantia, ita in illa Patrisfamilias, qui proinde ſurgere mane ante alios debet, & veſperi vltimo decumbere. Ita fit enim, vt incuſtoditam Domum non relinquat, & quæ poſſidet, omnia diligenter vigilans cuſtodiat. Exemplum hoc omnibus in Domo pro regula eſt, & ſtertere pudet, cùm iam ſtratum Paterfamilias reliquit. Salubre quoque eſt, & quædam ſanitatis conſeruatio, non ad multam lucem dormire. Ariſtoteles cap. 6. Oeconomicorum, *Expergiſci decet priùs Dominum, quàm ſeruum, & cubitum ire poſteriùs; nec vnquam incuſtoditam eſſe domum, quemadmodum nec vrbem, quando opus eſt, neque die, neque noctu. Et ante lucem ſurgere, quod & ad ſanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad ſtudium Philoſophiæ prodeſt quam plurimum.* Notum eſt vulgò vetus illud carmen:

Sanat,

Sanat, ſanctificat, ditat te ſurgere manè.

Præterquam quod hæc Oeconomi cura otium ignauiamque Domeſticorum impediat, & prauorum quorundam conſilia, furumque conatus optato frui ſucceſſu non ſinat. Horatius lib. 2. Epiſt. 7. *Vt vigilent homines ſurgunt de nocte latrones, vt teipſum ſerues non expergiſceris?* Plautus in Rudent.

—— Vigilare decet hominem
Qui vult ſua tempori conficere negotia.
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcunt.

Plato in Legibus. *Nemo dormiens vlla re dignus eſt*, vt refert Laërtius. Idem lib. 3. *Quicumque viuere & ſapere cupit maximè, quam longiſſimo tempore vigilet ſola ſanitatis commoditate ſeruata: ad hanc verò non multò opus eſt ſomno ſi benè aſſueueris ſomnijs. Magiſtratus profectò in vrbibus noctu vigilantes hoſtibus terrori ſunt.* Sed audiamus Sapientem Prouerb. cap. 10. *Noli diligere ſomnum ne te egeſtas opprimat.* Et cap. 6. *Vſque quo piger dormis? quando conſurges de ſomno tuo?* Magnus ille Eccleſiæ Doctor Auguſtinus, indecens eſſe ait, vt ſol Chriſtianum in lecto inueniat. Vnde D. Ambroſius in officiis. *Quis non erubeſcit ſine pſalmorum modulatione diem tranſire, cùm minutiſſimæ aues ſolenni deuotione ortum dici præueniant?*

Additamentum.

Cauendum quidem eſt, ne nimijs vigilijs ſpiritus exhauriantur, corpora attenuentur, ſenſus obtundantur & hebeſcant, ſed tamen etiam prouidendum eſt, ne immoderato ſopore ſenſuum mentiſque vires torpore & ignauia debilitentur, & pars diei melior nobis pereat, rebus neglectis, quæ induſtriì Oeconomi diligentiam requirunt. Itaque Patrisfamilias eſt maturè ſomnum diſcutere, & benè manè ſe operibus ac negotiis reddere. Talis eſt mulier illa fortis, de qua Prouerbiorum cap. 31. quæ typus eſt fœminæ ſapientis & induſtriæ, breui ſomno contenta, ſe famulaſque ſuas in opere ante lucano continebat, penſo dato, quod abſolverent & ſpatioſam noctem velleribus trahendis vtiliter iucundeque fallerent. Talis pater ille familias apud Matthæum cap. 20. Qui primo manè exiit conducere operantes in vineam ſuam. Hoc exemplum Patrisfamilias, omnes ad opera conſtanter producit, pudetque ſerui s dormire, cùm vigilat dominus. Vigiles & prompti diligentiæ ſuæ pretium ferunt. Nam pigro dormienti venit quaſi viator egeſtas, & pauperies, quaſi vir armatus, vt loquitur Scriptura. Ei verò qui impiger eſt, venit vt fons meſſis & egeſtas longè fugit ab eo, vt habetur Prouerbiorum cap. 11.

CAPVT V.

Vtrùm Patrisfamilias ſeu Oeconomi prudentia magis in amplificatione diuitiarum requiratur, quàm in vſu.

IN Familia ars acquirendi diuitias Familiæ principium eſt, ac proinde res omnium difficillima. Certè ſine magna prudentia haberi opes non poſſunt. Frui multi ſciunt ſibi relictis, pauci, quæ non habent, acquirere. Inanis multorum eſt Familia, quia arte hâc carent. *In amplificatione requiri videtur.*

Prudentiæ tamen eſt maioris acquiſitis, rectè vti ad ornatum, fruique ad amœnitatem; quam acquirere. Solorum eſt quippè bonorum benè frui, malorum etiam acquirere. Primus eſt ad quæſtum gradus acquiſitio, vſus autem familiæ eſt finis. In hoc prudentia ſumma eſt opus, conſilio, & deliberatione. Nemo ſine ingenio & arte benè vti diuitijs poteſt; at verò eas comparare fortunæ plerumque eſt benignæ. Et quemadmodum in proſperis ſecundiſque rebus fortunam moderari ſummæ prudentiæ eſt, ne excedas, ita in familia acquiſitis vti, ne pereas. Siquidem prudentiæ & iuſtitiæ lances ſola librat prudentia: & quid in hominum vita æquum, quid vtile, quid turpe ponderat. Igitur cum ad acquirendum in Patrefamilias ingenium requiramus, tum vſus diuitiarum omnem eius prudentiam requirit. *Potius tamen in vſu.*

quirit. Ariſtoteles cap. 6. Oeconomicorum. *Quærere poſſe conuenit, & quæſita tueri; alioquin nulla quærendi foret vtilitas.* Ibidem talem requirit Philoſophus Patremfamilias, vt & ornari præſentibus, & frui ſciat: horum enim gratia habere illas expedit. Notum eſt illud Poetæ:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

In vſu rerum tenere modum, ſeruare ordinem; decoris & honeſti rationem habere, res omnium difficillima & laborioſiſſima eſt. Quippè Plutus diuitiarum Deus, vt antiquitas tradidit, cæcus eſt, & cæcos facit. Diuites extiterunt multi olim, vt Midas, Tantalus, Craſſus, Crœſus, & alij, in quorum ora ſinuſque fluentia quædam diuitiarum flumina deriuabantur, ſed rectè vtendi modum non tenuerunt. Moderatè, iuſtè, decorè, opportunè fieri hic omnia debent, ſed ſine magna prudentia non poſſunt. Verè Philoſophus, *ſolius prudentis eſt, inuenire medium, ſapientis eſt ſolius tenere finem.* Eſto primum acquirere oportet, deinde conſeruare, tum ornare Familiam, poſtremò vti moderatè ad delectationem. Hoc verò omnium eſt difficillimum. Vnde Comicus in Pſeudolo:

—— Proinde vt quiſque fortuna vtitur
Ita præcellet; atque exinde ſapere eum omnes dicimus.

Nihil difficilius, quàm regere partam fortunam, aut integram conſeruare. Nam vt argute Mimus:

Fortuna vitrea eſt, cùm ſplendet frangitur.

Cauti ſunt homines, cùm acquirendo laborant; at vbi plena ſunt fortunæ vela, in ornatu vſuque diuitiarum negligentiores ſunt, minus cauti, & nimis confidentes, ac proinde maiore eſt opus vi prudentiæ.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 1. cap. 4. Sine rebus ad victum neceſſarijs neque viuere, neque benè viuere fas ſit. Opus igitur eſt acquiſitione. Sed vt idem ait c. 6. Quærere poſſe conuenit, & quæſita tueri; alioquin nulla quærendi foret vtilitas. Igitur etiam opus eſt conſeruatione & prudenti vſu eorum, quæ quæſita ſunt. Et in hoc diuitiarum vſu magis elucere dicimus Oeconomi prudentiam, quàm in opum amplificatione.

Nam fortunæ plerumque tantum eſt acquirere, ſolius verò prudentiæ eſt benè vti, & conſeruare. Sed hac de re fuſius lib. 2.

TITVLVS III.

De Societate Coniugali, ſeu Viro & Vxore.

CAPVT I.

Quid ſit Societas Coniugalis, quæ materia, finis, neceſſitas?

Quid ſit. CONIVGALIS Societas eſt Viri & Fœminæ legitima coniunctio. Latini coniugium & matrimonium appellant. Coniugium quidem, quod nubentes olim iugo ſubijcerentur ad futuram concordiam declarandam; vel quod *Vnde dicta* datâ fide coniungerentur; matrimonium verò à matris nomine, quod adeptura ſe ſperabat matrona, quæ in matrimonium cum viro conueniebat. *Materia.* Societatis huius coniugalis materia ſunt mas ſeu vir, & fœmina in genere humano. Neque enim de brutorum coniunctione hic agimus. Mas eſt, vt vult Philoſophus lib. 1. de generat. cap. 2. id animal, quod in alio gignit; fœmina verò illud, quod in ſe ipſo gignit, & ex quo fit, quod generatur. Nam mas & fœmina principium ſunt generationis. *Finis.* Finis coniugii ſummus eſt ſobolis procreatio & eiuſdem educatio.

catio. Ideò quippè Deus Geneſis c. 2. primos homines coniunxit, vt eſſent duo in carne vna, creſcerent, multiplicarent, replerent terram. Alii deinde ſunt fines, mutuum videlicet auxilium, & contra incontinentiam remedium. Hinc olim Germani, Tacito teſte, id ab vxore exigebant, ne ſe extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus eſſe putaret, ſed venire ſe laborum, periculorumque ſociam idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque.

Porrò cùm fundementum familiæ ſocietas ſit Coniugalis, ac proinde omnium tum prima, tum quia ſine generatione continuari conſeruarique Familia non poteſt, vel maximè neceſſaria eſt. Eius exordiū eſt à naturali deſiderio: nec homo animal tantùm eſt naturâ ſociale, ſed multò magis coniugale; ſingulareſque viri & mulieris virtutes in hac ſocietate elucere poſſunt. *Neceſſit as*

Additamentum.

CONIVGALEM Societatem aliqui definiunt eſſe neceſſariam maris & fœminæ in humano genere ad mutuum auxilium & liberorum procreationē & vagæ libidinis coercitionem, legitimè inſtitutam coniunctionem. Ex qua definitione, tum materia, tum finis, & neceſſitas apparet. Alij aliter, ſed eodem ſenſu omnes. Sen. in Hyppol.

Prouida ille maximus mundi parens,
Cùm tam rapaces cerneret mundi minas,
Vt damna ſemper ſobole repararet noua.
Excedat, agedum, rebus humanis Venus,
Quæ ſupplet ac reſtituit exhauſtum genus,
Orbis iacebit ſqualido turpis ſitu.

Xenophon in Oeconomicis cap. 12. Dij mihi ſapientiſſimè videntur opera feciſſe, ſed maximè hoc coniugium, quod mas & fœmina vocantur. Plato in conuiuio refert fabulosè homines olim quatuor brachia, totidē pedes, duo capita, & reliqua membra habuiſſe geminа. Cùm autem robore ſuo freti bellum Dijs inferrent, Iouem, qui eos imbecilles reddere cupiebat, medios diſſecuiſſe, quæ ſectio maſculum & fœmellam effecerit; atque hinc fieri, vt quiſque ſui quæreat medium, & denuò perfici deſideret. Plutarchus in Erotemat. Hoc machinata eſt natura, ſeu potius hoc ille primus & maximus fecit Deus, vt eſſent mares & fœminæ, atque ita genus humanum ſempiternum fieret, & conſequeretur immortalitatem. Cic. 1. Offic. Prima ſocietas, inquit, eſt in coniugio, proxima in liberis, deinde domus, cui ſunt omnia communia. Huc referri ea poſſunt, quæ paſſim de laudibus matrimonij & nuptiarum circumferuntur. Antipater apud Stobæum Coniuges, ait, pro duobus oculis quaternos habeant, & pro duabus manibus totidem alias, quibus vna iunctis facilius opera manuum faciant. Proinde feſſis ac læſis alteris, alteræ ſuum officium præſtabunt. Ibidem citantur hi Poëtæ Comici verſus:

Vxorem ſemper illum ducturum puto,
Cui magna familia gubernanda eſt domi.
Vt otio fruatur ipſe, & liberè
Domi relinquens Oeconomum deambulet.

CAPVT II.

An Vxor Voluptatis cauſa duci debeat?

FVit Ælij Veri Imp. hoc ſymbolum, *Vxor nomen dignitatis, non voluptatis*. Quippè in vxore, vt matrona honeſta, & matrefamilias dignitatis potius, quàm voluptatis habenda ratio eſt. Eſt enim ipſa, vt ait Menander, *gubernaculum domus, & penu virtutis*. Et vt Africanus, *firmamentum familiæ*. In ea virtutem attendere & probare maritus debet. Vnde Sen. in Octauia, *Dignitatis potiùs cau ſa quàm voluptatis*

Probitas, fides, mores, pudorq́, coniugis, placeant marito.

Duæ, vt iam conſtat, coniugij ſunt cauſæ. Vna eſt, vt ex Diuina benedictione coniugis liberorum, opum, & nominis hæredes nanciſcantur. Altera, vt vxores cum maritis honoratæ conſociatæque in ſua ſingulæ domo viuant. Non igitur duci vxor voluptatis cauſa debet, etſi aliqua ſit in coniugali ſocietate, ſed ob illum coniugij iam dictum finem. Menander apud Clement.

Trado ferendis liberis legitimis
Natam hanc tibi meam.

Ea olim recepta in nuptijs formula.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 8. Eth. c. 12. duos matrimonij fines conſtituit, liberorum generationem, & mutuum vitæ auxilium. Hinc Clemens Alexandrinus, Vxor, inquit, datur, vt ſit auxiliatrix generationis & curæ domeſticæ. Et Plato lib. 6. de Rep. In coniugio, inquit, conſolatio hæc præpoſita ſit, quod naturæ perpetuitatem promouere oporteat, & filios filiorum relinquendo ſemper Deo miniſtros pro ſeipſo tradere. Non igitur voluptatis cauſa vxor eſt ducenda, ſed illa, quæ in coniugio voluptas eſt, ad liberorum procreationem referenda eſt. Neque enim coniugium meretricium quoddam opus eſt, & libidinis ſocietas, ſed ſchola caſtitatis, quæ libidinis flammas extinguit. Vnde Apoſtolus Epiſt. 1. ad Corinthios monet, vt vnuſquiſque propter fornicationem vxorem ſuam habeat, & vnaquæque ſuum maritum.

CAPVT III.

An vna tantùm ducenda ſit vxor?

Vna tantum ducenda eſt.

APud Chriſtianos dubia res hæc non eſt, vnica eſſe vxor debet, aliarum qui conſuetudine vtitur, adulter eſt. Geneſis c. 2. *Et adhærebit vir vxori ſuæ & erunt duo in carne vna.* Vir ſcilicet & vxor. Vnam hominum primus Adamus habuit; vnam Patriarcha Noë in arca. Pulchrè Propert. *Exemplo iunctæ tibi ſint in amore columbæ,*
Maſculus & totum fæmina coniugium.

Seneca in Agam. *Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.*

Apud Romanos certa lex fuit, vt ciuium quiſque vnicam duceret vxorem. Peregrinas voluptates ipſi non probabant. Primus apud eos quas ſimul habuit Antonius; duas item Valentinianus Imp. permiſit. Et ſi fides Suetonio in vita Cæſaris cap. 59. paratam de pluribus ducendis legem habuit Heluius Cinna Tribunuſplebis, quam primus Cæſar ferri iubebat. Aliarum gentium non vnus error fuit. Communes eſſe vxores volebat Plato. Magnum ſanè diuini hominis dilirium. Vnam quidem Tarrentini vxorem liberorum procreandorum cauſa eſſe volebant, ſed duas præter eam pellices ad voluptatem. Athenienſes conſtitutâ pœnâ concubinam excluſerunt, ſed vt duas ſinguli ciues vxores haberent, ſanxerunt. Vt nimirum, ſi vna ſterilis eſſet, altera vrbi ciues pareret; aut ſi vna morbo vel puerperio detineretur, altera marito adeſſet, atque ægrotæ neceſſaria compararet. Apud Ægyptios tot vir vnus vxores ducebat, quot pro opum ſuarum ratione poterat. Idem hodiè apud Turcas inſtitutum. Notum de Perſarum Regibus eſt, qui plures vxores habebant, quæ noctes partiebantur, & pro quibus certum aliquod vectigal vrbes pendebant; vna in collum, alia in redimiculum, alia in crines, alia in aliud quippiam.

Quæſtiuncula.

An nubere etiam vni tantùm viro fæmina debeat? Vni ſanè tantùm; atque eadem eſt ratio, quæ iam conſtat. Quæ vno contenta non eſt, pluribus contenta non erit. Vndè Mimus, *Impudica mulier citius vno oculo contenta erit, quàm vno viro.* Apud Romanos, teſte Valerio Maximo, quæ vno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ donabantur. Non probanda igitur illa Lacedæmoniorum conſuetudo, apud quos vna duobus viris fœmina nubebat, vt cum abeſſet vnus, domi alter maneret, quod honeſtum nequaquam iudicarent, vt ſola domi eſſet fœmina. In Britannia, teſte Iulio Cæſare, vna olim fœmina quinque viris nubebat. Sed hæc fœditas eſt.

Additamentum.

VIr Vxorem vnam, vxor maritum vnum habere debet. Duplex Polygamia eſt; vna, cùm ſimul & eodem tempore quis duas aut plures vxores habet; altera cum priore mortua ducitur alia. Priorem illam inter Iſraëlitas tolerauit Deus, ad generis humani initio propagationem. Pugnat verò illa cum inſtitutione matrimonij, in quo duo eſſe debent in carne vna. Præterquam, quod inter plures vxores earumque liberos acerrima ſint odia, ſimultates, rixæ, pugnæ, & rei familiaris diſpen-

diſpendia. Quod multi olim plures vxores habuerunt, nil refert, non enim exemplis, ſed legibus iudicandum eſt, nec multitudo errantium errori patrimonium adfert. Altera polygamiæ ſpecies ſine culpa eſt; & ſi multi olim non probarint, & ſpecioſum ad adulterium vocarint Improbè aiunt Neptunum accuſare illum, qui ſemel è naufragio liberatus, iterum mari ſe credat. Et Publius Mimus, Mulier, inquit, quæ multis nubit, multis non placet. At Apoſtolus vult viduas iuniores nubere, in 1. Epiſtola ad Timotheum. Et in Epiſt. ad Romanos ait non peccare mulierem, ſi mortuo priore marito liberata alteri nubat. Sunt quidem aliquæ difficultates propter Nouercas, quæ odio ferè ſemper priuignos proſequuntur. Qua de re Callimachi Epigramma eſt tale.

Exiguo lapidi puer addit ſexta nouerca,
Mutaſſe vt vitam ſit ratus ingenium,
At puerum obtriuit delapſa columna; nouercæ
Priuigne exanimem vel tumulum fugito.

Apud Romanos quæ vno contentæ matrimonio fuerant coronâ pudicitiæ donabantur teſte Val. Max. Impudicæ voluntatis, & incontinentiæ eum aliquod ſignũ putabant ad ſecundas tranſire nuptias. Et Mimus ait Impudica mulier citius vno oculo contenta erit, quàm vno viro.

CAPVT IV.

Quid in vxore ducenda ſit attendendum?

SApiens cap. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Jehoua autem eſt vxor prudens.* Et hæc quidem optanda & expectanda à Deo, Verum cùm eligi debeat, rectè Plautus, *vxor eligenda eſt auribus, non digitis.* Quippè attendere ad virtutis famam oportet, non dotem numerare.

Atque inprimis fama conſideranda eſt, non forma. Optima forma eſt, quæ media eſt: hæc enim à nimiæ pulchritudinis periculo abeſt, & ſummo deformitatis odio vacat. Dici vulgò ſolet, *Si pulchram duxeris, communem habebis.* Nam vt vt ait Satyricus:

—— Rara eſt adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Magno verò periculo cuſtoditur, quod multis placet, vt aiebat Publius Syrus. Et verò quid forma eſt? Audi Ouidium lib. 2. de Arte:

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Nocuit Lucretiæ venuſta facies; nocuit ſpecioſus decor Virgineæ. Gibboſam aliquando eſſe præſtaret, quam excellentiſſima forma decoram. Plerumque ſola facies amoris eſt cauſa; vbi flos pulchritudinis exaruit, amor deferueſcit. Vnde Iuuenalis Saty. 6.

Si verum excutias, facies non vxor amatur;
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores
Collige ſarcinulas dicit Libertus, & exi
Jam grauis es nobis.

Quanquam cum

Et genus & formam Regina pecunia donet,

Poëta teſte, quæ ſatis opulenta eſt, ſatis pulchra eſt. Vbi dos magna eſt, nulla deformitas apparet; imò deformis formoſa eſt, ſi diues. Ita nimirum auri ſplendore oculi obfuſcantur, & amplæ dotis murmure aures perſtringuntur. Iſti hominum ſunt mores. Vidit & expreſſit Plautus in Perſ.

Tace ſtulta, non tu nunc hominum mores vides?
Quo eiuſmodi? hic cum mala fama facie nubitur,
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vertitur.

Secundo attendere ad virtutem oportet, non ad dotem. Ideò prohibuit Lycurgus cum virgine dotem dari, vt virgines virtuti magis, ciues amori ſtuderent. Et Themiſtocles honeſto, quàm diuiti, dare filiam maluit, quod optaret potius virum pecuniâ carentem, quàm pecuniam viro. Apud Spartanos virgo quædam inops interrogata quid dotis ſponſo eſſet allatura, *Deinde ad virtutem non ad dotem.*

 pater-

paternam, inquit, *pudicitiam*, Nam vt Horatius lib. 3. Od. 24.

Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Tertio cum ætatis, tum conditionis attendenda æqualitas eſt. Quippè inter iuuenes ſeneſque quemadmodum vix amicitia coaleſcit, ita coniugalis inter ætate diſpares aut nullus eſt, aut rarus eſt amor. Cùm autem genere & opibus inæquales ſunt coniuges, nulla coniugij tranquillitas eſt. Ideò rectè Ouid. Epiſt. 9.

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus ſpecies læſura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Additamentum.

AD famam non ad formam, ad virtutem non ad dotem attendendum eſſe iudicamus.

Quod attinet ad famam fatendum eſt eam magnam vim habere ad alliciendos tenendoſq; hominum animos. Vnde Plato in Phædro. Quod pulchrum, idem & charum. Et Plutarchus in Lyſide, Pulchritudo magis homines, quàm vlla Epiſtola commendat. Quo ſenſu dixit Ariſt. apud Stobæum, Formoſa facies muta cõmendatio eſt. Et Minius, Formoſa virgo eſt dotis dimidium. Solent etiam homines ex forma corporis de moribus animi coniecturam facere, quod quale hoſpitium, talis hoſpes putetur. Ingenij præſtantia rarò malè habitauit, inquit Galenus lib. 2. de temperamentis. Hanc ob cauſam Spartanis legem tulit Lycurgus, vt infantes formæ liberales educarentur, deformes manci, debiles abijcerentur. Sed tamen Ariſtoteles roganti cuidam cur, quæ pulchra ſunt amarentur, reſpondit hanc interrogationem eſſe cœcorum vt refert Laertius lib. 5. Et Ouidius lib. 4 Faſtor.

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formã.

Et in Epiſt. 15. *Lis eſt cum forma magna pudicitiæ*. Et Menander. *Formoſa mulier plena res ſuperbiæ eſt.* Certè ſicut aurum, ita vt formoſæ multos habent inſidiatores, & voluptatum illecebris, & munerum corruptelis, & vetularum maleficijs tranſuerſum agi facilè poſſunt. Interim ſi quæ fœmina pulchra ſit & pia & pudica, eâ nihil pretioſius aut amabilius eſt. Quippè vt ait Virgilius:

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Eurypides in Oedipo, Animum ſpectandum eſſe ait, quod nihil pulchritudo iuuet, cùm quis mentem bonam non habet.

Quod attinet ad dotem, pleriſque veterum & recentiorum matrimonia illa non probantur, quæ dotis potiſſimùm & diuitiarum cauſa contrahuntur. Nam, vt Plutarchus ait de Educat. liber. Qui locupletes ſibi diligunt, non ſunt vxorum domini, ſed dotis ſerui. Et Plautus in Aſinaria, Argentum accepi, dote imperium vendidi. Ibidem, Quæ indotata eſt, ea eſt in poteſtate viri. Hac de re iterum numero 6. Pulchrè idem Plautus in Amphit.

In nuptijs ſpectare res decet duas
Amabilem ſpeciem oris, & mores bonos
Concordiam nam continent hæc mutuam.

In eadem Comœdia ſequens Alcmena ait:

Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam libidinem,
Deum metum, parentum amorem, & cognatorum concordiam.
Tibi morigera atque munifica ſim, bonis proſim probis.

Bias apud Auſonium.

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.

CAPVT V.

An ergò iuueni non liceat vetulam vxorem ducere?

IN ore omnium hæc quæſtio eſt, nec à moribus aliena. Partium itaque vtrimque momenta libremus.

Rationes affirmantes. Licere quis non credat, cùm conſenſum, à quo legitimum eſt matrimonium, vetulæ dare iuuenis poſſit, & indiuiduam vitæ ſocietatem cum illa ſuſcipere? Quin imò vir iuuenis & probus cùm vetulam ducit, puta quinquagenariam, aut ſexagenariã, refrænare hoc modo affectus ſuos poteſt, & relictis alijs ſuam illam vetulã in debitis coniugij officiis caſtè ſtudioſéq; amplexari. & cùm ardere amor ſoleat, vbi honor vrget, plerumq; ex huiuſmodi cum

vetula

vetula nuptijs naſci honor ſolet. Quæ, obſecro, lex vnquam cum vetula nuptias prohibuit? Patriarcham Abraham Saram ſenem & ſterilem vxorem habuit. Parua tunc equidem, aut nulla ſpes eſt prolis; quid deinde verò? Etiam repetti caſtrati ſunt, qui cum vxoribus viuerent. Sanè ita accidere ſolet, vt ſeniores illæ vxores iuvenculos maritos miro omninò amore complectantur, demulceant, delicatè foveant, ac cum ipſis quodammodo iuveneſcant. Non omnia attingo.

Non licire tamen vel per naturam ipſam conſtare videtur. Hæc enim cùm ſui conſeruationem in maris fœminæque coniunctione, atque in prolis generatione, quærat, intercidet natura, ſi cum vetula iamque arida matrimonium coaleſcat. Diuina lex virum & fœminam ideò coniunxit, vt creſcerent multiplicarentque. Maledicto obnoxia olim ſterilitas fuit. Ægyptiorum, Cretenſium, Romanorum priſco illo æuo lex iſta. *Nemo ſine ſpe vteri vxorem ducat.* Apud Siculos cautum lege fuit, ne matrimonium ſenes contraherent. Vnde Dionyſius ſenior matri ætate iam confectæ, & ad ſecundas nuptias tranſire volenti, *Ciuitatis equidem legibus*, inquit, *adferri vis poteſt, at naturæ minimè.* Nulla hic morum eſt ſimilitudo, ac proinde omnis amor intercidit. Comat ſe & exornet vetula, calua hæc & capetata imago iuvenis affectum non excitabit. Alia ætatis iſtius incommoda taceo. Interea difficile maritus ſtuprum vitat, & alienos amores ſequitur. Roſas non quærit, vbi ſpinas videt. Accedit, quod in eiuſmodi coniugio rixæ quotidiè ſint, & contentiones. Quæ ætatem confecerunt, de tumulo cogitare, non de thalamo; de lachrymis, non de delitijs debent. *Rationes negantes.*

Turpe ſenex mulier, turpe ſenilis amor.

At, inquies, *vtile eſt magnas plerumque opes cum vetula poſſidere.* Quanta verò ſeruitus eſt, furijs moroſæ ſenis, & affectibus delirantis aliquando fœminæ mancipari? Audi Poëtam: *Quæſtiuncula.*

Propter opes teneram vendit quicunque iuuentam,
Mercatur lites, & ſine fine dolos.

Æqualitatem igitur ætatis ſuadeo; rarò eſſe hæc poteſt, non longum tamen ſit interuallum, & iunior marito ſit vxor.

Additamentum.

ILlud Ouidij hic probandum.

Si qua voles nubere, nube pari.

Ariſtot. 7. Polit. c. 6. Legiſlatorem, ait, attendere debere, vt qui iungunt nuptias ad ſobolis procreationem æquè ſunt apti, nec penes hanc diſcrepent facultatem, ita quidem vt vir aptus ſit, inepta mulier, aut apta mulier, ineptus maritus, Hæc enim materia litis eſt, & diſcentionum inter coniuges, Plautus in Mercatore. Senex edendulus & capularis, & decrepitus, tantundem quaſi ſit ſignum pictum in pariete. Et in Antularia.

Nam poſt mediam ætatem qui ducit vxorem domum,
Si ſenex prægnantem fortuito fecerit,
Quis dubitet, quin ſit paratum puero nomen poſthumus.

Senes cùm matrimonium ineunt morbos ſibi accerſunt, & compendioſam ad mortem viam ingrediuntur. Amici & propinqui, quos Deus & natura ſucceſſores dedit, excluduntur, & ad alienos bona tranſferuntur, de quibus dici illud Mimi poteſt. Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt. Et Euripides apud Stobæum Serm. 71. Mulier quodammodo inimica fit omnibus, qui prius familiares erant, vbi coniuncta eſt ſecundo marito.

CAPVT VI.

An expediat multò ſe ditiorem vxorem ducere?

DIuitem ducere expedit, non eam verò, quæ marito multò ſit ditior. Iuvenalis Satyr. 6. *Non expedire videtur.*

Veniunt à dote ſagittæ,
Intollerabilius nihil eſt, quàm fœmina diues.

Ac po-

Ac potiſſimum ſi inops ſit, qui maritus ſit. Hinc apud Stobæum Anaxandrides.

Qui namque egenus ducit vxorem domum
Ditem, Dominam hic, vxorem haud habet ſibi,

Rationem dat Martialis,

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? Vxori nubere nolo meæ.

Serui olim nubere dominabus dicebantur. Illud certum eſt, contemptum hinc naſci. Elata ſuis opibus mulier non rarò maritum aſpernatur, & pro ampla dote imperium vſurpat. Æquo ferre animo maritus non poteſt, cùm quod attulit vxor, toties exprobrat,

Queſtiuncula de nobilioribus

An etiam non expediat nobiliorem ſe ducere? Multò ſanè minùs. Hæc quoque conditionis inæqualitas contemptum adfert; ſupercilium non facilè ponit, quæcunque nobilis eſt mulier. Iuvenalis Satyr. 6.

Malo Venuſinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, ſi cum magnis virtutibus adfers
Grande ſupercilium, & numeras cum dote triumphos.
Tolle tuum precor Hannibalem.

Fateor equidem nobiles rubore quodam verecundiæ obſequentes eſſe viris ad honeſta; ſed imperium tamen etiam volunt, & genus & proauos tædioſa iactantia recitant. Laudanda apud Iſaros olim lex illa. *Nobilis nobilem, liber liberam, ſeruus ſeruam ducito, qui ſecus faxit, vitam amittito.* Sed nolo in ſpatioſum hunc campum longius excurrere.

Additamentum.

Dicit equidem Menander, Deus eris, diuitem ſi duxeris. Et idem. Qui pauperem vxorem accipit miſerrimus eſt. Sed benè Nicoſtratus apud Stobæum Serm. de vxoris petitione. Vxorem non ducendam eſſe putant, niſi diues ſit, & magnam dotem afferat, Verum his apparet egregia ſeruitus. ſi quis ſeipſum tum vxori opum luxuria diffluenti, tum pecunijs adulatoriè ſubmittat. Et Titinnius apud Nonium Verum enim dotibus deliniti vltrò etiam vxoribus ancillantur. Nec malè Megadorus in Aulularia Si opulentiores pauperiorum filias indoratas ducat domum, Et multò fiat ciuitas concordior, Et inuidiâ nos minore vtamur, quàm vtimur, Et illa malam rem metuant, quàm metuunt magis, Et nos minore ſumptu ſumus, quàm ſimus. Philippides apud Stobæum Serm. 77.

Fœda es maritus coniugis, ſed diuitis.
Inſuauiter dormito, veſcere ſuauiter.

Sicut Lycurgus apud Spartanos, ita Solon apud Athenien. ſponſā nihil adferre ſecum voluit, quàm hæc tria veſtimentum, cibum, & potum, non pluris, quàm obolo conſtantem. Plures cùm duo filiam eius ambirent pauper induſtrius, & diues imperitus, eam dedit pauperi, dictitans illum, qui diues fieri poſſit, eò meliorem eſſe, qui iam diues ſit. Et Themiſtocles apud Valerium Maximum lib. 7. cap. 2. Malo virum ſine pecunia, quàm pecuniam ſine viro.

Quod attinet ad Genus, iudicamus expedire nequis ſe multò nobiliorem ducat. Nam vt eſt apud Stobæum Serm. de temperantia, Cleobulus æqualem iubet ducere. Nam, inquit, ſi ex ſuperiori familia quampiam duxeris, non affines tibi, ſed dominos comparabis. Rectè Ouidius Epiſtola 9.

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Interim ita ad genus attendendum eſt, vt honeſto loco nata ducatur. Modum oſtendit Antipater apud Stobæum de Petitione vxoris. Primum, ait, de moribus & ingenio parentum percunctabimur, an ciuilis ſit pater, nemini moleſtus, non ingratus, modeſtus, iuſtus, & qui rebus varijs non delectetur, alia eiuſmodi. Deinde Matrem quoque conſiderabimus, in cuius conuictu educata eſt nuptura, & moribus eius imbuta. Poſtea de Sponſa, an illam, vt par eſt, inſtituerint, neque officio ſuo defuerint, & amori in ipſam nimis indulgendo vtilitatem eius neglexerint, omni ſtudio inquirendum eſt per ſeruos, liberos, domeſticos, externos, vicinos, amicos. &c.

CAPVT VII.

An Vxor domina ſit, an ſocia, an ancilla?

Dignitatis nomen eſt vxor, non ea tamen Domina, ſed ſocia, Dominium viro humanæ diuinæque leges concedunt. Mulieris caput vir eſt, à Natura ad imperandum aptior muliere factus. Ea enim propter virum, & ex viro facta eſt. Dictum ab Oraculo diuino mulieri eſt Geneſis cap. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ariſtot. lib. 1. Polit. *Maritus & vxor ſunt duo magiſtratus, ille maior, hæc minor; minor à maiore pendet, eique obtemperat.* Philemon Comicus: *Domina non eſt, ſed ſocia.*

Vxor eſt munus probæ, ô Nicoſtrate
Supra virum ne ſe putet, ſed ſubditam.
Vxor maritum quæ ſupra eſt, magnum eſt malum.

Indulgentiores hac in parte Romani olim. Ideò exprobare Cato illis ſolebat, eos omni genti armis imperitare, ipſis verò vxores. Satis vxori ſit, quod viri ſit ſocia; in hoc eius dignitas eſt. Turpè ſanè eſt, ſi de marito illud Iuvenalis dicatur Satyr. 6.

Nil vnquam inuitâ donabis coniuge; vendes
Hac obſtante nihil, nihil hæc ſi nolit, emetur.

Ludouicus XI. Galliæ Rex, cùm nimiâ dominandi cupiditate vxor flagraret, Principio, inquit, ceruæ cum ceruis altis cornibus inſignitæ à Natura fuerunt; at cum ceruæ ceruis ſe præferrent, indignatus Deus imperauit, vt in poſterum ſine cornibus ceruæ eſſent. Rectè ille. Admonebat quippè Reginam, ne ſuâ inſolentiâ ſibi potentiam minueret.

Cùm igitur ſocia vxor eſſe debeat, non eſt ancilla. Formata eſt ex viri coſta è latere, vt ſit ſocia, non ex pede, vt ſit ſerua. Meritò Plato Thraces reprehendit, lib. 7. de Legibus. Ij vxoribus, vt ancillis vtebantur; imò abutebantur. Et Olorus Thraciæ Rex Iuſtino teſte, lib. 32. Vacos à ſe victos ſeruire vxoribus voluit. At ea ſempiternæ ignominiæ pœna fuit. Non illud probandum apud Sacas olim inſtitutum, quo nupturæ cum ſponſo certamen inibant. Sponſa ſi ſuperior eſſet, tota vita ſeruiebat; ſi ſecus, imperabat. Ita Ælianus refert lib. 12. Multò minùs probanda illa Mahumetis lex, & Sectatorum conſuetudo, quâ mulieres pro belluis habentur. Meritò illi ſanè barbari. *Non ancilla.*

Additamentum.

Vxor Domina non eſt, nec ſerua ſed ſocia. Plutarchus in præceptis Coniugalibus. Maritus, inquit, vxori debet imperare, non vt dominus rei, quam poſſidet, ſed vt animus corpori iiſdem affectibus obnoxius, & beneuolentiâ deuinctus. Idem, Sicut cùm ſumuntur duæ conſonæ voces, cantus grauiori adſcribitur: ita in familia rectè inſtituta, omnes res geruntur quidem conſenſu coniugum, viri tamen vel imperium, vel conſilium elucet.

Megiſtona Timoleontis vxor cùm Ariſtotimus Elienſium tyrannus iuberet, vt ad virum Imperatorias litteras ſcriberet. Si ius, inquit, Naturæ ſcires, non vtique iuberes viris ſuas mulieres quicquam præſcribere, ſed nos ad ipſos, tanquam ad dominos noſtros permitteres proficiſci. Ita Plutarchus de Claris Mulieribus. Maritus itaque pro dignitate imperar in ijs, quæ virum decent. ſed ea quæ fœminæ conueniunt, vxori delegat. Ariſtoteles 1. Polit. cap. 1. dicit non contumelioſè tractandas vxores eſſe, ſed vt participes imperij domeſtici honore debito, præſertim coram liberis, familiaribus & amicis, afficiendas eſſe. Mulieres ſunt cohæredes gratiæ vitæ ait D. Petrus Epiſt. 1. cap. 3.

CAPVT VIII.

An regi vxor à marito poſſit?

Regi difficile poteſt

Flauius Conſtantin. Imperator ſymbolum hoc vſurpat, *Mulieri imperare res deſperata.* Certè res perquam difficillima eſt. Quippè, vt ait Euripides, *Inter res omnes maximè inexpugnabilis eſt mulier.* Et Menander:

Tot cum mari terraque paſſim ſint feræ,
Fera omnium ipſa maxima exſtat fœmina.

Idem illam *Domus tempeſtatem, & aſpidis venenum* appellat. Philemon, *perpetuum & neceſſarium malum.* D. Chriſoſtomus *malum intollerabile, Domeſticum periculum, delectabile detrimentum.* Plura alii, quæ non colligo; de muliere enim mala ſunt, quæcunque iſtorum dicta; eiuſmodi verò omnes non ſunt. Qualeſcunque tamen ſint, neceſſariæ ſunt. Vnde Q. Metellus Numidicus ad Romanos ciues. *Si poſſemus ſine vxoribus, Quirites, eſſe, omnes moleſtiâ careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quàm breui voluptati conſulendum eſt.* Et Suſarion:

Neceſſaria eſt.

Mala & moleſta res vt vt ſit fœmina,
At domum ſine hoc malo colere non licet.

Regi poteſt.

Quantumvis etiam imperioſum animal ſit fœmina, & imperium vix ferat, eius tamen regendæ aliquis eſt modus, nec omninò ſanè ei imperare res eſt deſperata. Rationi parere multæ ſciunt, & volunt; quæ nolunt, duci vel cogi poſſunt. Ratione omnes præditæ ſunt, & ſequi eam velle debent. *Poſſeſſio bona viro eſt vxor beneuola*, vt inquit Hippothoon.

Additamentum.

Senecæ iſtud eſt. Fœminæ naturam regere deſperare eſt omnium, vnde Flauius Conſtantinus ſymbolum ſuum formauit, quod hic refertur. Idem in Octauia.

Mulier dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis,
Sed vim negauit, vt ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor.

Propertius:

——— *Verba & componere fraudes*
Hoc vnum didicit fœmina ſemper opus

Publius Mimus:

Malo in conſilio fœmina vincunt viros.

Et vt Satyricus:

——— *Iram atque animos à crimine ſumunt.*

Democritus Mulier, quam vir, multò promptior eſt ad malignitatem & fallaciam. Rationem dat Cicero, Quia, inquit, viros ad vnumquodque maleficium ſingulæ impellunt cupiditates, mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit. Et ſecundùm Valerium Maximum. Quia audax eſt ad omnia, quæcunque amat vel odit fœmina, quæ artificioſa eſt, nocere cùm vult. Quamquam hæc omnia, & plura alia de muliere mala intelligi debent. Sicut eſt illud, quod Auguſtino attribuitur. Crede mihi ſi totum Cœlum eſſet papyrus, & totum mare atramentum, & omnes ſtellæ pennæ, & omnes Angeli ſcribentes, non poſſent deſcribere aſtutiam mulierum. Interim dantur bonæ, quæ regi poſſunt. Et rectè Menander:

Virtutis eſt penu generoſa fœmina

Sunt & eædem neceſſariæ. Vnde Saſarion:

Mala & moleſta res vt vt ſit fœmena,
Et domum ſine malo hoc alere non licet.

CAPVT IX.

Quomodo vxorem regere maritus debeat?

Præceptum Cleoboli.

Cleobolus è ſeptem Sapientibus vnus regendæ vxoris præcepta duo tradit. Vnum eſt, *vt cum vxore nihil blanditijs maritus agat.* Alterum, *vt coram extraneis nunquam illam obiurget.* Illud dicebat eſſe vecordiæ, hoc inſaniæ. Ita quippè ratione cum vxore agendum eſt, vt omnia pro communi familiæ vtilitate, & pro dignitate honoreque matrimonij agi ipſa intelligat. Cato præceptum hoc vnum dedit. *Vitium vxoris*

Præceptum Catonis.

aut

aut tollendum eſſe, aut ferendum. Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præſtat; qui verò fert, ſeſe meliorem facit. Emendanda igitur in vxore vitia ſunt; ſi non poſſint, vt quadam patientia fiant meliores, ſerenda ſunt. Conſulendum tamen Familiæ honori, ideoque non ferendæ turpitudines, aut flagitia. Reducenda ipſa in bonos mores lege, non ferro. In paruis delictis conniuendum eſt, nec ob errores quoſuis iraſcendum. Si iracundior ſit, ſi loquacior, ſi comptior, ſi liberalior, quàm oporteat, prudenter admoneatur & molliter tractetur. Sæpè qui roſam tangit, ſeipſum ſpinis pungit & lędit. Aſperiora verba concordiam tollunt; & cum ardet mariti ſuror, refrigeſcit vxoris amor.

Præceptū Georgij Leontini.

Georgius Leontinus *aſſeruandas domi vxores præcipit.* Certè raò ſaltem exeant: qua de re poſteà.

Exemplo regenda.

Vnum & maximum præceptum eſt, vt exemplo viri regatur vxor. Equidem legibus, non exemplis viuitur, exempla tamen multò ampliùs, quàm leges, mouent. Voluntas enim humana allecta libenter, coacta verò inuitè officium ſuum facit. Acuta eſt mulier, & admodum oculata; notat, obſeruat, & occultiſſima etiam veſtigia ſequitur. Si domi & foris rectè maritus viuat, virum vxor tanquum vitæ ſuæ legem, & virtutis normam ſequitur. Quæ ſecus facit, monſtrum eſt, & quædam Xantippe. Non verba, non munera, non res vllæ pretioſæ tam ſœminam ad honeſtam vitam mouent, quàm viri honeſti & continentis vita. Benè quidam, *Lilijs & roſis caſtitatis virilis ad caſtam fidem fœminæ trahuntur.* Ita maritus cum vxore agat, ut vxoriam illi dignitatem integram ſeruet, intelligatque ipſa, aliud eſſe cum meretrice, aliud cum vxore cõgredi. Plura poſteà in officio mariti.

Additamentum.

MOdi hic aliquot regendi vxorem ex viris ſapientibus referuntur. Ratione ſanè cum vxore agendum eſt; eius enim eſt capax. Non præbeat maritus vxori vllam turpitudinis vel flagitij cauſam, cuius in conſpectu nequidem turpiter loqui debet. Exemplo etiam viri regenda eſt mulier. Etſi enim legibus, non exemplis viuitur, tamen exempla multò plus monent; quàm leges. Nam voluntas humana allecta libenter, coacta verò inuitè ſuum officium facit. Si ergò maritus rectè domi viuat, vxor virum tanquam vitæ ſuæ legem accipiet, aut normam virtutis. Sed hac de re iterum in officio viri & vxoris infrà.

CAPVT X.

An vxoris cupiditati ornatus aliquis ſit permittendus?

Ornatus vxori ſine exceſſ. per mittendus

VT melius regatur vxor, aliquis eius ſuperbiæ concedendis eſt ornatus. Is ne cum exceſſu ſit, cauendum. Nam quæ corpore ornatior eſt, mente deterior fit. Duæ ſunt mulierum præcipuæ virtutes, Caſtitas, & Modeſtia; vbi ornatus exceſſius eſt, magna earum virtutum eſt eclypſis. Cometæ ad tempus ſplendent, vbi exhauſta materia, extinguuntur. Ita ſplendere aliquamdiu vxor poteſt, ſed raò virtutis radium aut lumen poſt ſe relinquit. Quia verò naturâ ad quandam ſuperbiam ſacta mulier eſt, aliquid eius cupiditati indulgendum eſt. Et quoniam marito placere vult & debet, ſit ſanè ornata. Modum dabit vitæ conditio & ſtatus. Indignum eſt hodiè plerumque cerdonum ornatiores eſſe vxores, quàm nobilium. Nullum eſt ordinum diſcrimen, communis eſt purpura & byſſus; multæ omnia ſua dorſo ſecum portant, & nonnunquam vbi vxor ſplendet, familia eſurit. Quantum honeſtas exigit, permittendum eſt, eâ verò conditione vitæ metienda eſt. Illæ ſæpè ſunt querelæ, *Tu me, marite, non amas, tu me negligis: cur iſta ornatior me vicina incedit? Nemo me tuam vxorem agnoſcit; prodire in publicum pudet.* Queruloſum hoc genus mulierum eſt; ideoque diſcretus ſit maritus, conniueat, indulgeat; ſed cum modo. Quæ alia

videri

videri vult, quam ſit, aliud ſe facturam oſtendit, quàm deceat. Sit vultus ſine fuco, veſtis ſine fictitio artificio & odore. Plautus. *Mulier rectè olet, quæ nihil olet.* Superba veſtis pudicitiæ argumentum & irritamentum eſt. Satis ornata eſt, quæ intra conditionis ſuæ limites ſe tenet. Opum habenda ratio eſt, ne ſuperbia iſta plus conſumat, quam induſtria acquirat. Iterum hac de re alibi

Additamentum.

ALiquis, ſed ſine exceſſu, permittendus. Philonis vxor interrogata, quamobrem ſola ex alijs, quę congregatæ erant, aureum ornatum non geſtaret, Quoniam, inquit, pro ornamento maritus mihi ſufficit, vt refert Stobæus Serm. 78. Phocionis vxor cùm hoſpita quædam ex Ionia veniens ei mundum muliebrem auro gemmiſque diſtinctum & torques & monilia oſtenderet, Meum, inquit, ornamentum eſt, Phocion iam viceſimus Imperator Athenienſium. Ita Plutarchus in Phocione. Interim nullus luxus eſt permittendus. Nam inprimis luxus reddit mulieres doloſas. Vbi enim fucatum eſt corpus, fucatus eſt animus. Quippè doloſi hominis doloſa ſunt veſtimenta, vt dicebat Rex Æthiopum Longævorum apud Herodotum lib. 3. Reddit & ſumptuoſas. Vnde Plautus in Pœnul.

Negotij ſibi qui volet vim parare
Nauem & mulierem, hæc duo comparato,
Nam nullæ magis res plus negotij
Habent, eas ſi fortè occeperis exornare,
Nec vnquam ſatis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ornandi ſatis ſatietas eſt.

Et Seneca lib. 4. qq. Naturalium. Mundus muliebris ſarcinæ viriles ſunt. Reddit & ſuperbas. Hinc Plautus in Pœnul.

Multa ſunt mulierum vitia
Sed hoc è multis vnum eſt maximum
Cùm ſibi nimis placent
Nimiſque operam dant, vt placeant viris.

Terentius in Heaut. Noſtri mores mulierum dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Et Plautus in Pœnul.

Mulieres noctes dieſq́; in omni ætate ſemper
Ornantur, lauantur, terguntur, poliuntur.
Poſtremo modus muliebris nullus eſt, &c.

Reddit & ſuſpectas. Iuuenalis Satyr. 6.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Spartani mulieribus vſu auri interdixerunt. Et apud Romanos Lex Oppia non conceſſit mulieribus, vt plus ſemuncia auri ferrent, nec vt verſicolores haberent veſtes, vt teſtis eſt Livius lib. 34. Addendum poſtremò illud Plauti in Moſtella.

Mulier nequicquam exornata eſt benè, ſi morata eſt malè.

Pulchrum ornatum turpes mores, peius cœno collinunt.

CAPVT XI.

An domi aſſeruanda ſit Vxor?

Aſſeruanda domi videtur.

DIci vulgò ſolet, *Fœmina ambulatrix rarò pudica eſt.* Decet vt teſtudinem mulier imitetur, quæ domum ſuam circumfert, hoc eſt, domi maneat. Id vt ſignificaret Phias, Venerem apud Elienſes ita finxit, vt pedibus teſtudinem premeret Apud Ægyptios calceorum vſus fœminis interdicebatur, vt in publico non conſpicerentur. Græci ad conuiuia ſecum vxores non ducebant; tantumque in interiore ædium parte, vbi erant affines, ſedere permittebant. Quid, quod etiam antiquiſſimi æui homines lanata in pelle nouam nuptam conſidere iubebant? Nimirum, vt lanificio operam illi dandam eſſe, domique remanendam indicarent. Romanæ verò fœminæ à ſeptem ſibi cauere, eaque quodàmmodo fugere ſolebant. Primum, *ne inter ſpectacula fabularentur.* Secundum, *ne cibis ſeſe ingurgitarent.* Tertium, *ne vinum, niſi ægræ, biberent.* Quartum, *Ne ſecretò cum viris colloquerentur.* Quintum, *ne oculos in ſanis attollerent.* Sextum, *ne de feneſtris proſpectarent.* Septimum, *ne domo ſine marito exirent.* Quæ ſecus faciebat, infamiâ notabatur. Non abſimilis hodiè Hiſpanorum & Italorum conſuetudo, apud quos arcta matronarum & puellarum eſt cuſtodia. Et verè ſine hac diſciplina vix cuſtodiri pudicitia poteſt, cui tot inſidiæ ſtruuntur: ea verò vel ſeuerior ſit, vel remiſſior pro gentis cuiuſque genio. Non idem vbique periculum eſt; nec ſatis pudica eſt, quæ tantùm pudica eſſe domi cogitur.

cogitur. Nec vlla ſatis accurata cuſtodia eſt, vbi mens non ſatis eſt integra. Etiam oculatiſſimum Argum decipiet mulieris parum caſtæ ingenium. Quod prohibitum ſibi eſſe animaduertit, ardentius cupit, & iurgijs domus repletur. Cuſtodiatur igitur, ſed ſine Zelotipia.

Additamentum.

APud Stobæum Hyperides, Oportet, inquit, mulierem egredientem domum hunc ætatis terminum attigiſſe, vt qui non nouerunt ipſam, cuiuſnam mater ſit, non cuius vxor, interrogent. Plutarchus in præceptis Coniugalibus. Hodiè, inquit, pleraque domi ſunt manſuræ, ſi aureos calceos, & armillas, & periſcelides, & purpuram, & vniones auferas.

CAPVT XII.

An ſeueritate aliquâ cogi ad officium ſuum vxor à marito debeat?

MAgnus ille Iuriſconſultus Alciatus in præfatione ad Iuris regulas dubitatum de marito ſe vidiſſe, ait, qui vxorem baculo percuſſerat. *Rationes negantes.* Profectò cum, Plutarcho teſte, verbera ingenuis non conueniant, parum ingenui ſunt illi mariti, qui amantiſſimas coniuges percutiunt. Et quid verò hoc aliud eſt, quàm verum amorem extinguere? Poëta quidam:

Offendit cælum, ſanctumque iſ ſoluit amorem,
Vxorem ſæuâ qui ferit vſque manu.

Vna eſt mariti & vxoris velut perſona, vna cura; an ſeipſum odiſſe, imò ſeipſum verberare quis poteſt? Non ex pede viri ſumpta mulier eſt, vt pedibus conculcetur, ſed ex latere & coſta, vt ſit ſocia, & intimo corde ametur. Sanè verberibus mulieres non emendantur, deteriores imò euadunt. Vnde Bernardus Syluester, *Malam*, inquit, *vxorem riſu potius, quàm baculo emendabis.* Amoue marite baculum, non eſt vxor tua mancipium.

Trahit in partem aliam alius Poëta, *Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege ligata, Hæc tria nil rectè faciunt, ſi verbera ceſſent.* *Rationes affirmantes.* Nec ratione Poëta caret. Quomodo enim plurimarum petulantiam coniugum mariti coërcebunt, ſi ſeuerâ caſtigatione abſtineant? Præcipit pro Oppia lege Cato ne fræna indomito & impotenti animali dentur, ne ſi par eſſe ceperit, continuò ſuperius eſſe velit non ſine maſculini ſexus infamia. Vnde etiam exiſtimabat Calderus, non amputandam eſſe mulieribus comam, vt habeant mariti, quo eas trahant & ligent. Neque, vt inquit Alciatus, mariti vulnera aut iniuriæ, aut doli præſumptionem habent, niſi atrocitas & ſæuitia aliud oſtendant. Quid, quod mariti in vxorem imperium, magiſtratus in ciues imperio reſpondeat? At hic non verbis tantùm, ſed ſeuerâ etiam caſtigatione in ciues animaduertit. Nec paucæ Ciuili Iure cauſæ notantur, ob quas pro delictorum grauitate fuſtes & flagella maritali poteſtati correctionique permittuntur.

Ita in partem vtramque rationis aliquis flatus impellit. Placet verò Marci Aurelij conſilium, vxorem admonendam eſſe ſæpè, reprehendendam *Sententia noſtra.* rarò, violentis manibus tractandam nunquam. Eſt ipſa mariti pars, vitæ ſocia, conſilij compos, ſolatij dextera. Multi malè vxorem tractando ſeipſos confoderunt. Affecta erat à marito iniuriâ Clytemneſtra, adulterium commiſit, & in mariti mortem conſpirauit. Si Philoſophum audiamus, ratione alt, non authoritate; lenitate non ſeueritate vxor, vt ſocia, non vt ſerua trahenda eſt. Atque vt illud addamus, commodè in vxorem reget, qui nec omne in eam ius vſurparit, nec ſui iuris omninò illam reliquerit. Media quædam tenenda via eſt, vt & libera ſit, & quodammodo victa; ſeq; marito dignitatis nomine coniunctam eſſe intelligat. Commendetur aliquando, & aliquando etiam reprehendatur.

Addi-

Additamentum.

QVidam cum Catone Cenſorio Sacrilegium putarunt mulierem percutere, vt habet Plutarchus in Catone. Et hinc odij diſſidijq́ue ſemina eſſe. Sunt verò in Ciuili Iure cauſæ, ob quas pro grauitate delicti, fuſtes & flagella correctioni maritali permittuntur, vt in Nouella 118. Cauſam enim corrigendi, qui habet iniurioſus non eſt l. 5. §. 1. Nec maritalia verbera iniuriam aut dolum vllum præſumunt, niſi atrocitas & ſæuitia aliud oſtendant. Volunt vtiliter aliqui, vt ſi nihil proficiant monitiones mariti & propinquorum, cognitionem ſibi ſumat Magiſtratus, aut Conſiſtorium litibus connubialibus in pleriſque Rebuſpub. decidendis ordinatum, quemadmodum olim in Sacello Deæ Viriplacæ redigebantur ad concordiam teſte Valerio Max. lib. 2. c. 1. Prudens maritus inter imbecillitatem ſexus, & malitiam diſcernit. Imbecillitas æquo animo ferenda eſt. Vnde Plutarchus de Præceptis Coniug. Si quæ naturæ auſtera eſt nihilq́ue iucundi admixtum habet ingenio, nec vſu ſuauiter reddi poteſt, moderatè id facere maritus decet. Malitiam conabitur corrigere blanditijs, precibus, obſequijs, Omnia enim, vt ait Terentius, prius experiri, quàm armis ſapientem decet. His ſi nihil proficiatur, periculum tandem faciendum eſt, an obtineri illud Horatianum poſſit:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

His ipſis quoque ſi expugnari malitiâ non poſſit, vitio verti maritus non poteſt, ſi extremâ neceſſitate coacti & emendarionis ſpecie incitati, tanquam Medici, ad ſectionem & vſtionem accedant, hoc eſt ad remedia, quæ dolorem faciant. Nec enim vllum ſubſiſtere poteſt imperium, quod non habent neruos aduerſus delinquentes, & refractarios ad officium vt cogere non poſſit. Cauendum verò maritis à moroſitate & ſeueritate nimia. Malus quippè diuturnitatis cuſtos eſt metus.

CAPVT XIII.

Officia mariti erga vxorem, & quædam ad hanc rem leges.

Varia mariti officia

MAriti erga vxorem præcipua hæc officia ſunt, Primum, in ijs omnibus vxorem inſtruere, duæ eius ſint officij. Id verò ſumma cum ſuauitate fieri debet. Secundum eſt, vxori victum præbere, ſeu dotem attulerit aliquam, ſeu nullam. Tertium eſt, de honeſta illi veſte prouidere, habitâ conditionis & ordinis ratione. Quartum eſt vxoris thalamo & lecto vti. Quintum denique eam amare, & aduerſus quoſcunque defendere. Ex illis alia hæc conſequuntur; Ægram curare, captiuam redimere, mortuam ſepelire, viduæ de victu prouidere, ſuſceptas ex ea proles teſtamento hæredes ſcribere, & eorum curam delectis à ſe tutoribus committere. Hæ cùm officij maritalis præcipuæ ſint partes, tum obſeruari quædam alia poſſunt, vt integra familiæ dignitas conſtet & concordia. Ea hiſce legibus comprehendimus.

Leges.

I. Secreta matrimonij intra cubiculi parietes deliteſcant.

II. Omnia intra domeſticos parietes vxori credantur, maritus induſtriam foris oſtendat.

III. Maritus nullam vxori turpitudinis vel flagitij cauſam præbeat.

IV. Maritus in vxoris præſentia turpe nullum verbum proferat.

V. Arcana, ne leuia quidem, vxori aperiat; ſi aliquid dixerit, rem vniuerſam nunquam manifeſtet.

VI. Cùm inualidum & ſine ratione fœminæ conſilium plerumque ſit, vxorem in rebus arduis ne conſulat, aut certè aliquando repentè, vt repentè ipſa reſpondeat. *Quò plus fœmina deliberat, eò amplius hallucinatur*. Superbit cùm arcana ei committuntur, indeq́ue, quomodo dominetur, quærit.

VII. Moderatè vtendum eſt vxore, ne frequentiori coniugij vſui aſſueta, ſi quandoque ei minus fiat ſatis, aliundè expetat.

VIII. Pro facultatum ratione tractari honorificè vxor debet. Id debitè cum ea conuerſando fit, nimirum ad eius mores, quantum honeſtas patitur, accommodatè.

IX. Pru-

IX. Prudenter ametur vxor. Nimius amor turpis; & vt inquit Xiſtus Pythagoricus, *Adulter eſt in ſuam vxorem amator ardentior.*

X. Si humilis ſit vxor, foueatur; ſi prudens, blandè cum ea agatur; ſi ſtolida, acriter aliquandò increpetur; ſi ſuperba, coërceatur. Qui ſuperbæ paret, imperium amittit; qui humilem conculcat, eam perdit; qui prudentem acriter reprehendit, deſperationem ferit; qui ſtolidam nimis blandè regit, irridetur.

XI. Vxorem maritus coram alijs nunquam reprehendat.

XII. Concordiam maritus præcipuum coniugij bonum eſſe credat; & quemadmodum fidem pudicitiamque ab vxore exigit, ita illi quoque præſtet. Sic ſancta & intemerata eorum ſocietas ſit.

XIII. Nihil eorum omnium prætermittat, quæ ad vxorem rectè inſtiſtituendam pertinent, vt quam optima ſit domeſtica diſciplina, & ex coniuge præſtantiſſima præſtantes liberi procreentur.

XIV. Denique ita cum vxore conſueſcat, vt temperantia modeſtiaque appareat; in dictis verecundia, in factis ius & fas, in conuictu fides & frugalitas. Metu pudoris & verecundiæ experto nunquam vxorem perterrefaciat. Paruis delictis etſi voluntarijs veniam libenter det: ignorantiæ peccata admonendo corrigat. Ita præcipit Ariſtotel.

Additamentum.

OMnia officia hic deſignata mutuus amor rata facit. Sen. Ep 9. ad Lucilium. Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Martialis lib. 6.

Vt præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem
Hoc non fit verbis Marce, vt ameris, ama.

Prudenter verò amandum. Cato Senatu mouit eum, qui vxorem præſente filià oſculatus erat. Plutarchus autem in Præceptis Coniugalibus. Si turpe eſt, inquit, Coniuges in præſentia aliorum ſibi blandiri inuicem, quanto turpius coram alijs rixari, conuitia iacere, à manibus ſibi non temperare. Firmatur etiam idem amor cùm alter alterius tolerat infirmitates, & ſcit ſibi negotium eſſe cum homine, à quo humani nihil alienū eſt. Vulgò dicitur, Amici mores noueris, non oderis. Item facilè dare veniam debet, cui venià eſt opus. Alphonſus Rex, vt refert Panormitanus, dicere ſolebat, Coniugium tum fore tranquillum, ſi maritus ſit ſurdus, & vxor cœca. Quo dicto ſignificabat maritum nō debere eſſe nimis curioſum in inquirendis vxoris dictis, & vxorem non debere eſſe nimis curioſam in inquirendis mariti factis. Debet maritus vxori defenſionem contra vim omnem, Vnde Ovid. Epiſt. 8.

—— Nec turpe marito eſt
Aſpera pro charo bella tuliſſe thoro.

Et cùm omnia procurare illi debeat, tum imprimis exemplo ſuo ducere debet ad pietatem & morum honeſtatem. Plutarchus in Præceptis Coniugalibus, Reges, inquit, ſi muſicam ament, multos efficiunt muſicos; ſi litteras, litteratos; ſi Athletas, exercitationibus corporis deditos: ita vir ſi cultui corporis ſtudet vxorem ornandi corporis ſtudioſam reddet; ſi voluptatibus indulget, libidinoſam & meretricem; ſi honeſtatem & res pulchras ſectatur, temperantem & modeſtā.

CAPVT XIV.

Officia vxoris erga maritum, & quædam ad hanc rem leges.

VXoris erga maritum hæc officia præcipua ſunt. Primum eſt, reuereri & honorare vbique maritum tanquam dominum. Secundum, Marito in omnibus honeſtis & licitis morem gerere, ſeque ad eius mores totam efformare. Tertium, libenter ei ſeruire, cum in iis, quæ ad victum ſpectant, præparandis, tùm in alijs, quæ domeſtica diſciplinâ continentur. Quartum, domus curam habere, potiſſimum abſente marito. Iuxta eum, cum præſens eſt, comparere debet, vbi abſens eſt, ne videri quidem. Quintum, cum marito, aut per eum loqui, apud alios ſilentium ſeruare. Sextum *Varia vxoris officia.*

tum; Oeconomiæ operam dare, & in rebus domeſticis componendis ſuum laborem collocare.

Hiſce porrò officijs leges quaſdam adiungamus, quibus muliebris officij partes continentur.

I. Prudens vxor maritum ſuum quibuſcunque alijs ſemper præferat, non inani iactantiâ, ſed inſigni amore.

II. Non aurum, quod attulerit, ſed virtutem, quâ ſit ornata, præcipuam mulierum eſſe dotem credat.

III. Nunquam ſe Dominam, ſed mariti ſociam eſſe ſibi perſuadeat.

IV. Suam inter Domeſticos parietes operam apparere velit, & rerum, quæ foris geruntur, conſilia non expetat.

V. Cum in curandis domeſticis rebus præſtare ſedulitatem debeat, tum id ſecundum præſcriptas à marito leges faciat. Non abſoluta enim, ſed certis duntaxat legibus domeſticarum rerũ eſt Domina. Temeraria illa Ægyptiorum lex fuit, quæ, vt priuatis in rebus mulier viro dominaretur, iubebat.

VI. Viro, quæ foris agenda ſunt, vxor relinquat, de rebus alienis taceat; de rebus bellicis aut Reipublicæ non loquatur. Sermonis eius campus, & actionem Paleſtra, ſit res familiaris.

VII. Ad Familiæ vtilitatem non niſi honeſtas artes adhibeat. Eiuſmodi eſt ars nendi, & lini texendi.

VIII. Mariti ſui parentes & conſanguineos omni beneuolentiâ complectatur. Malè quippè de viro merita vxor videtur, cuius parentes ab ea malè habentur, probroque & iurgijs vexantur.

IX. Sciat Coniux commercium ſuum non voluptatis & turpitudinis cauſa inſtitutum eſſe, ſed ad perpetuã vitæ ſocietatem ſobolemq́; propagandã.

X. In re familiari curanda rationem habeat in primis prouidentiæ, ne rei cuiuſquam ſit inopia; deinde nitoris & honeſtatis, ne quid diſpliceat; tum ordinis, ne quærentem quid fallat; poſtremò mediocritatis & frugalitatis, vt rei familiari & valetudini ſit conſultum.

XI. Vxor fortunæ ſecundæ non tantum, ſed aduerſæ quoque ſociam ſe viro præſtet. Commendantur quæ in aduerſis fidem ſeruant, inque amore coniugali & officio remanent.

XII. In re vxoria ſilentium ſeruet, & ſecretis mariti amoribus ſit contenta.

XIII. Caueat vxor ne quid ficti aut ſimulati fucatiuè cum marito agat; amet verò venuſtatem nitoremq; naturalem, & ab omni fraude ſit procul.

XIV. Viro non iubente externum quempiam nequaquam admittet, & ea inprimis pertimeſcet, quæ perhiberi vulgò de corruptis mulierum moribus ſolent.

XV. Modeſtiâ vitæque honeſtæ ac pudicæ ſtudio commendari potius quærat, quam veſtium pulchritudine, formæ ſpecie, corporis nitore vel auro. Plus firmitatis habent virtutis ornamenta ad laudem conciliandam, quã iſta ſuperbiæ inſtrumenta.

XVI. Benè inſtituta vxor legem ſibi diuinitus à Deo datam eo tempore, quo iunctæ nuptiæ ſunt, exiſtimabit, ingenium & mores mariti. Hos ſi æquo animo ferat, facilis domeſtica erit adminiſtratio; ſin minus, perquam difficilis. Bonos imitabitur, malos patienter feret, aut ſi poſſit, ſuauiter emendabit. Parum eſt ornatum multo aureo ſpeculum eſſe, ſi inſpicientis non benè faciem repræſentet. Mariti ſpeculum eſt vxor, hæc illum niſi moribus referat officio ſuo deeſt.

XVII. Nec garrula ſit, nec curioſa. Omni fœminæ decus adfert ſilentium. Non tam verò dedecet virum domeſtici operis aliquid efficere, quam mulierem, quæ externa ſunt, ſcrutari. Heraclides,

Nam fœminæ ſilentium, & prudentia Pulcherrimum.

Addita

Additamentum.

AD officia hic deſcripta addendum inprimis Epigramma illud, quod Romæ in capite Pontis Indæorum extat:

Hoſpes, quod dico paulum eſt, aſta & pellege
Hic eſt ſepulchrum haud pulchrum pulchræ fœmina,
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suum maritum corde dilexit ſuo;
Gnatos duos creauit; horum alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat.
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo
Dominus ſeruauit, lanam fecit. Dixi, abei.

Conetur vxor non natalibus, dote, vel pulchritudine, ſed concinna morum comitate viro placere. Vulgò dicitur, ſæpè pulcher eſt calceus, & tamen pedem vrget. Habeat in ſuauitate morum philtra quibus maritum ad amandum alliciat. Sapiens ait Mulier comis exhilarat mariũ, & eùm humaniter eum tractat, cor illius reficit. Debet marito morem gerere. Hinc Socrates apud Stobæum Serm. 72. Viros, inquit, oportet ciuitatis legibus parere, vxores autem maritorum ingenijs. Martialis lib. 8.

Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito,
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Hæc obedientia fœminis honorifica eſt. Vnde Plutarchus in Præceptis Coniugalibus. Diuites & Reges, qui Philoſophos colunt & venerantur, ſibiipſis gloriam comparant: ita mulier, quæ virum honore afficit, ſibiipſi honori eſt & ornamento. Et Publius. Caſta ad virum matrona parendo imperat. Plautus in Trinum.

Modeſtè viro obuiam eat, dicendo, Domine adſum,
Impera quiduis, neque tibi ero in mora, neque latebroſè me abs tuo
Conſpectu occultabo.

Abrahamum Patriarcham non alio, quàm Domini nomine compellabat Sara vxor. Et illa apud Paulum Iuriſconſultum in l. Ea quæ 57. de Donat. inter virum & vx. Maritum Dominum vocat Clariſſimum. Eodem modo mariti vxores ſolent vocare dominas, vt patet ex pluribus locis in iure. Honoris illius quædam ſequela & pars eſt, ne vxor erga maritum ſuſpiciones ex leui cauſa concipiat, ſeque ſubijciat Zelotipiæ, quæ inter omnes affectus in fœmina extremum & ſupremum malum eſt. Præterquam quod ea res occaſionem præbeat alienationis animorum, & inde pericula non leuia naſcantur. Ouidius de Procry à Cephalo marito inſciò iugulata.

Ne cito credideris; quantum cito credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procrys erit.

Si quæ vitia mariti ſint, ea vxor non conuitijs & maledictis, ſed obſequijs, precibus, & blanditijs emendare conabitur. Sol, inquit Plutarchus, calore ſuo viatori pallium adimit, quod aquilo violentiſſimis flatibus eripere non potuit: ita ſermonis placidi vis, & efficacia longè maior eſt, quã contumelioſi. Quippe Gratijs ſacrificare vxor debet, ſi commode vti marito velit, hoc eſt blanda ſit & munditiei ſtudioſa. Hoc vt monerent veteres, Mercuriũ, Suadam, & Gratias iuxta Venerem collocabant. Et Solon ſponſam malum Cydoniũ comedere iubebat. Monetur etiam vxor, vt cum marito ſuo conſpici velit, eoque abſente domi lateat; non imitata lunam, quæ cum longe diſtat à ſole, illuſtris & lucida eſt, cum appropinquat, obſcura. Nec ſit etiam locutuleia & garrula, ſed ſilentium ſeruet, aut ſi opus eſt, parco ſermone vtatur. Democritus apud Stobæum, Sermo parcus mulierem ornat, & ipſius ornamenti parcitas ei decora eſt. Et Plutarchus, aut viro, aut per virum mulieri loquendum, nec indigne ferendum, ſi vt tibicen aliena lingua vocem edat propria grauiorem. Sunt alioquin naturâ ſuâ dicaces & loquaces fœminæ. Vnde prouerbium, Tres mulieres nundinas faciunt. Vide Eraſmum Chiliade 3. Cēt. 6. Prouerb. 77 Quod ſi vir ex ira vociferetur, tacendum eſt vxori; ſi taceat vir, tum alloquio mitigandus eſt; idque non tantum ſi iratus, ſed etiam ſi triſtis & calamitoſus. Hinc Euripides in Phryxo, Mulier in malis & morbis viro res eſt ſuauiſſima. Beſtiæ ſunt & furiæ, quæ maritis in rebus aduerſis inſultant, & ſuas exprobrant miſerias. Debet vxor maritum non voluptatibus, aut beneficijs, ſed morum gratia ſibi deuincire. Piſces, inquit Plutarchus, medicamentis celeriter capiuntur, ſed eſui fiunt inutiles; ita mariti poculis amatorijs & beneficio in vxorum poteſtatem redigi facile poſſunt, ſed ſtupidi & vecordes euadunt. Poſtremo vxor debet ſe totam ad genus vitæ moreſque mariti ſummo conatu attemperare. Vt enim ſpeculum, ait Plutarchus, licet gemmis & auro ſit ornatum nullius eſt pretij, ſi ſimilem rebus imaginem non exhibeat; ita nihil mulier, quæ mariti vitam & mores non repræſentat, plura ille.

CAPVT XV.

An viri fortis, & fœminæ imbecillitas coniunctio ad Familiam ſit vtilis?

Vtiliſſima & ad naturam quam maximè accommodata.

PRudens Natura ſexum vnum robuſtum, alterum imbecillem fecit. Ita ſanè conueniebat. Cùm enim viri munus ſit acquirere, vxoris verò acquiſita cuſtodire, fit vt ad res cuſtodiendas ſuâ imbecillitate idonea ſit vxor propter timorem; vir autem ad acquirendum propugnandumq́ue habilis ſit propter fortitudinem. Timor diligentiæ, curæ, vigilantiæ eſt cauſa; fortitudo induſtriam & laborum perpeſſionem requirit. Hinc viri ad quietem naturâ minus ſunt apti, exercitium volunt, & occupari gaudent; fœminæ ad foris excubandum, & ad labores ſunt infirmæ. Et verò cùm exigat honeſtatis ratio, vt intra domeſticos parietes vxor ſeſe contineat, ſi nacta robur eſſet, ferre domeſticam vitam concluſa non poſſet. Cumq́ue minoris naturæ ſit, aptior ad pueros educandos eſt, quàm vir, cuius eſt munus ex ſe genitos inſtruere, & ad honeſtæ vitæ normam formare. Vtilis itaque & ad Familiæ commune bonum accommodata eſt viri fortis, & fœminæ imbecillis coniunctio.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 8. Eth. Et Xenophon in Oecon. aiunt reliquos animantes generationis gratiâ communicare; homines autem non tantùm huius rei cauſa, ſed etiam propter ea, quæ vitæ conducunt. Sunt autem alia viri, alia mulieris officia: ideoq́ue ſibi mutuo ferunt opem, & in commune, quæ habent propria, conferunt. Et cum viro incumbat acquiſitio & defenſio, mulieri autem cuſtodia & diſpenſatio; & ille foris vt plurimum, hæc domi, quod ſui muneris eſt exequatur, optime viri fortitudo cum mulieris imbecillitate, coniungitur. Clemens Alexandrinus ait vxor datur, vt ſit auxilatrix generationis & curæ domeſticæ.

CAPVT XVI.

Quanta ſit viri in vxorem poteſtas?

Maritalis olim poteſtas vitæ & necis.

PRiſcis illis Gentilitatis antiquæ temporibus viri in vxorem poteſtas vitæ erat & necis. Ac necis quidem poteſtatem tribus de cauſis Romuli Lex marito tribuebat, *Si in adulterio vxorem deprehendiſſet; ſi partum ipſa ſuppoſuiſſet, ſi vinũ bibiſſet*. Quartam Bodinus addit, *ſi claues ſuppoſuiſſet*. Teſte enim Fabio pictore, cũ matrona quædam loculos, in quibus vinariæ cellæ claues erant, reſignauiſſet, à ſuis inediâ mori coacta eſt. Ob adulterij etiam cauſam cum apud Romanos, tum Græcos, vt Lyſias refert, necandæ vxoris ius fuit. Apud Gallos illos veteres, atteſtante Iulio Cæſare lib. 6. belli Gallici, non minor erat in vxores & liberos, quam in ſeruos, vitæ ac necis mariti poteſtas, etſi minimâ tantum ſuſpicione vxores tenerentur. Ea vero rigida nimis & inhumana poteſtas merito Chriſtiani iuris auctoritate abrogata eſt, & ad certos cancellos reuocata. Diuinum ius, cui recepta conſuetudo paret, modicam vxoris caſtigationem marito concedit; ius necis, etſi in adulterio ſit deprehenſa, non permittit. Pœnam capitis nemo niſi magiſtratus, vel cui Princeps poteſtatem fecit, aut ſententiâ, aut facto decernit. Si delinquat grauiter vxor, graues adſint mariti, vel propinquorum admonitiones, quæ ſi aut nihil aut parum fortaſſe proficiant, moderatam adhiberi animaduerſionem neceſſe eſt. Magno Rerumpublicarum quarundam commodo inſtitutum eſt tribunal, in quo connubiales iſtæ lites finem accipiunt. Eiuſmodi hodie eſt in ſacris Epiſcoporum Curijs. Olim in Deæ Viriplacæ templo coniugum concordia litibus deciſis ſanciebatur. Felix ſane ea Reſpublica, in qua rei vxoriæ nullæ aut actiones, aut cautiones exiſtunt, nullis fuſtibus aut verberibus eſt opus, ſed mu-

Hodie ea abrogata moderatæ correctionis eſt.

tui inter

tui inter coniuges amoris laudabile certamen apparet. Quippè, vt Horatius lib. 1.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſos querimonijs
Supremâ citius ſoluit amor die.

Additamentum.

VEteres quidam viro in vxorem vitæ neciſque poteſtatem tribuerunt. Apud Maſſilienſes & Mileſios, ſicut & apud Romanos priſcis temporibus, ſi vxor vinum bibiſſet, mori à marito cogebatur. Egnatius Merennius vxorem, quod vinum bibiſſet è dolio, fuſtè interfecit, & cædis abſolutus fuit à Romulo. Faunus Rex Latij Fatuam Faunam ſororem & vxorem ſuam virgis myrteis ad mortem vſque cæcidit, quod contra morem clam vini ollam ebibiſſet, vt refert Lactantius lib. 1. Ideoq́ue veteres propinquos fœminis oſculum dare voluerunt, vt ſcirent an temetum olerent, ita tum vinum appellabatur, vnde & temulentia dicta eſt. Ob adulterij cauſam non ſolum Romanis, ſed etiam Græcis ius fuiſſe necandæ vxoris tradit Lyſias in Orat. de Eratoſthenis cæde. Hæc autem ſæuitia iure meritoq́ue abrogata fuit, quamuis Theodora Iuſtiniani vxor, tot beneficia fœminis contra maritos conceſſerit, vt non paſſim de eorum imperio derogarit. Hominem enim occidere non tam priuati arbitrij eſſe debet, quàm publici iudicij. Neque futurus erit cædium modus, ſi eas impunè patrare cuilibet licuerit. Maritalis ergò poteſtas illa limitata eſt & certis cancellis circumſcripta, vt modicè caſtigare vxorem maritus poſſit, non occidere. Atque ideò non impunè fert, ſi etiam in adulterio deprehenſam occiderit. Et licet ordinaria Legis Corneliæ de Sicarijs pœna non afficiatur, extraordinaria tamen & mitior ei imponitur, vt patet ex lege, Si Adulterium. Papinianus Iuriſconſultus ad Legem Iuliam de Adulteris ita ſcribit. *Imperator Marcus Antonius & Commodus filius reſcripſerunt*: Si maritus vxorem in adulterio deprehenſam impetu tractus doloris interfecerit, non vtiq; Legis Corneliæ de Sicarijs pœnam excipiet. Nam & Diuus Pius in hæc verba reſcripſit Apollonio. Ei, qui vxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, vltimum ſupplicium remitti poteſt; cùm ſit difficillimum iuſtum dolorem temperare: & quia plus fecerit, quàm quia vindicare ſe non debuerit, puniendus ſit. Sufficiet igitur, ſi humilis loci ſit, in opus perpetuum tradi; ſi qui honeſtior, in Inſulam relegari.

CAPVT XVII.

Quomodo conſtare viri & vxoris concordia poſſit?

VIx coniugium eſt, vbi concordia non eſt, nec quicquam intollerabilius videtur, quam eos inter ſe diſſentire, qui vna dormire, conuerſari, loqui, negotiari, viuere & mori debeant. Vt igitur inter coniuges concordia conſtet, & vt felix coniugium ſit, hoc vnum conſilium eſt, vt mutuo ſe ament, & mores ſuos inuicem ferant. Malè coniunctos breuiſſimo ſpatio odium diſtrahit, amor ad tumulum vſque conglutinat. Verè dictum *Fel quod amarum eſt, amor mel faciet*. Et vt Plutarchus ait, *neque falſum, neque ſuaue eſſe quicquam poteſt, vbi amor non admiſcetur*. Imò Auguſtino teſte *In eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Multa & moleſta, & diuturna ſunt coniugij onera, ſed tolerabilia præſtat amor. *Neque decet*, vt ait Plato Diuinus *quicquam altero laborioſius dici ratione contentionis adhibitæ, ſed ratione amoris, quo id conficimus vel feruidi, vel tepidi.* Habet progreſſum facilem, quicquid, etſi aſperum & difficile, amore duce inchoatur. Notum illud Pythagoræ ſymbolum eſt, *Panem ne frangito*, quod diſſoluendam amicitiam non eſſe iudicabat. Valeat ſanè inter omnes, ſed inter coniuges potiſſimùm. Olim Veteres iuxta venerem, quæ pede Polypum premebat, Mercurium depingebant. An non vt docerent, nihil coniuges rixando, ſed perſuadendo impetrare à ſe inuicem debere? Diuus Chryſoſtomus Homilia 38. in Geneſim. *Illæ*, inquit, *veræ ſunt diuitiæ, illæ maximæ ſunt facultates, ſi vir cum muliere* *Mutuo vtriuſque amore.*

non diſcordet, ſed coniuncti ſint, vt corpus vnum. Sed lubet coniugalis huius amoris exempla in medium proferre.

Additamentum.

RESpondemus hic mutuo opus eſſe amore. Sapiens Prouerbiorum c. 5. Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ; cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus; vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter. Hunc mutuum coniugum amorem hæc commoditas ſequitur, vt concordibus voluntatibus & ſententijs iuuant, eadem velint, eademq́; reſpuant, ſine iurgijs in pace domeſticas res procnrent. Illis Eccleſiaſtici Elogium cap. 25. connenit. In tribus bene placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor poximorum, & vir & mulier bene conſentientes. Nec ſine cauſa toties Apoſtolus monet, vt viri diligant vxores ſuas, & vt inuicem ſupportent; quod nimirum ab hoc amore totum familiæ bonum exiſtat. Et Salomon Prouerb. c. 17. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Proba vxor aures occludere debet mulierculis quibuſdam vetulis & garrulis, quæ inter maritum & vxorem lites ſeruot. Philippus Macedo cùm à Græcis exploderetur monerentq́ue amici, vt ab ipſis pœnas ſumeret, Si, inquit, bene merentem ludibrio habent, quid eos facturos putatis, ſi ijs maleſecero? Ita vxor, inqoit Plutarchus, ſi mulierculæ calumniatrices dictitent, amantem ſui te & pudicam vir inique tractat, reſpoodeat, quid ergò fiet, ſi odiſſe eum & iniurijs afficere cœpero? Porrò vt domeſtica concordia conſtet, iurgiis verborumq́; concertationibus parcendum eſt, inuicemq́ue modeſtè reſpondendum. Hinc S. Iob c. 6. Reſpoodete obſecro abſque contentione. Et loquentes id quod iuſtum eſt, iudicate. D. Paulus Epiſt. 2. ad Thimotheom cap. 2. Nolite contendere verbis, ad nihiluo enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientum. Salomoo de Muliere forti Prouerb. 31. Os ſuum aperuit Sapientiæ, & lex Clementiæ in lingua eius. Ad euitanda autem iurgia ne ſint coniuges nimium curioſi; facile enim curioſus iurgij cauſam inuenit. Deinde eliminandi ſunt, ſi fieri poſſit, ſuſurrooes, qui ſemper aliquid referunt, vt coontentiones excitent. Salomon Prouerb. c. 6. Homo Apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde cogitat malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Poſtremò ſi coniuges ea obſeruent, quæ ſupra in eorum officijs deſcripſimus, concordia inter eos erit.

CAPVT XVIII.

Exempla ſingularis in coniugio amoris?

Domini Cataluſij. DOminicus Cataſuſius in Lesbo rerum aliquando potitus, cùm in lepram eius vxor incidiſſet, nihil ipſe à morbi contagione veritus, nec menſâ, nec lecto eam prohibuit. Vnus amor omnia in ſecuritatem

P. Rubrij Celeris. & voluptatem vertebat. Eſſe omnibus exemplum poteſt P. Rubrius Celer. Hic cum Chimia vxore ſua annis quadraginta tribus & menſibus octo vixit, nulla interea audita querela eſt. Vbi verus amor eſt, ibi querelæ nullus eſt locus. Dignus verò poſteritatis amore Tiberius Gracchus, qui an-

Tiberij Gracchi. guibus domi ſuæ mare & fœmina apprehenſis, cùm ab auſpice certior factus eſſet mare dimiſſo vxori ſuæ, fœminâ verò celerem inſtare ſibi obitum, necari marem iuſſit, atque in eius interitu ſeipſum quodammodo occidi ſuſtinuit, vt Corneliam cariſſimam vxorem ſuperſtitem poſt ſe relinqueret. Ita ſalutarem coniugio potiùs, quàm ſibi augurij partem eſt ſecutus. Nulla plus amauiſſe maritum vnquam, quàm Hipſicratea Regina Mithri-

Hipſicratea. datem, videri poteſt. Quippè hæc illum virili habitu, tonſis capillis, equo & armis aſſueta in omne belli & exilij diſcrimen comitata eſt; nec vlla res vnquam tam aſpera fuit, quæ fidem eius aut amorem fatigaret. O verum

Alceſtis. amoris delubrum Alceſtis pectus! Eius maritus Admetus Teſſaliæ Rex cùm graui morbo laboraret, ac conſultum oraculum reſpondiſſet, tum eum incolumitatem recuperaturum, cum amicorum quiſpiam ſe pro eo morti deuoue-

deuoueret, recuſantibus genus hoc pietatis amicis alijs, ſola ipſa mortem pro mariti ſanitate elegit. Paulina Senecæ vxor non minùs in morte, quàm in vita viri fidiſſima comes eſſe deſiderauit. *Paulina* Seneca igitur cùm reſectis in balneo venis paulatim cum ſanguine vitam effunderet, venas ipſa quoque ſibi apud maritum aperiri paſſa eſt, & cùm ſanguinem ſiſti tyrannus iuſſiſſet, pallorem totâ vitâ tanquam pudici amoris ſui ſignum in vultu retinuit. Cecilia Barbadica Veneta, cùm vir eius Philippus Vendraminus vitam cum morte commutaſſet, *Cecilia Barbadica* tam pertinaci ſe dolori immerſit, vt ad cibum ſumendum nullis propinquorum precibus indici potuerit. Nullo itaque reſponſo vnquam dato mortua eſt. Notus Arriæ in Pætum amor, quæ cùm *Arria.* marito moriendum eſſe videret, mortem præuenit. Non præuenit Pandoeri Perſæ vxor, *Pandoeri vxoris.* ſed cùm in acie maritus occubuiſſet, ſcriptis his in ſceda verbis, *Nunquam dicent homines Pandoeri vxorem diu poſt eum vixiſſe*, repudiato, quod offerebatur, coniugio ſeipſam gladio traiecit. Adijciamus & agricolæ cuiuſdam Lentiſcolenſis Neapolitano in regno exemplum. *Agricolæ Neapolitani.* Is cùm captam à Mauris vxorem intellexiſſet, protinus accurrens ad triremem piraticam adnatauit, & nil veritus Maurorum barbariem, mori ſe malle, quàm ab vxore abeſſe, acclamauit. Mirati illi ingentem huiic amorem, vnà cum vxore abduxerunt. Tunetenſi Regi præſentauerunt, qui tantâ hominis charitate motus eum & vxorem liberos eſſe iuſſit. Innumera ſunt eiuſmodi incredibilis in coniugio amoris exempla, ſed ſiſti ſtylus aliquando debet. Non facilè dixerit quiſpiam, vter maior ſit viri in vxorem, an contra vxoris in maritum amor.

Additamentum.

COllig, plura ex hiſtorijs paſſim poſſunt. Adeò illuſtre exemplũ Meleagri, qui fuit Oenei filius. Hic cùm obſeſſâ vrbe iratus ſuis in cubiculo ſederet, & interea Curetes cum Calydonibus vrbẽ aggreſſi nullã ſpem ſalutis relinquere viderentur, accurrunt ad illũ primò vrbis primores, & vt patriæ mutanti opituletur, rogant. Adſunt deinde Sacerdotes cum Religione & Deorum cultu ampliſſimãque operæ mercedem promittunt. Sed illos & hos reiecit. Venit tunc Oeneus eius parens canitie venerabilis, pietate venerabilior ſenex, genuaque eius ſupplex amplectitur. Accedit mater ab ira in preces & obſeruationes verſa. Sequuntur ſorores & ſodales iucundiſſimi, obteſtanturque ne ſe in vltimo diſcrimine deſerat. His omnibus ferox eius animus non motus in propoſito perſtabat. Sed interea hoſtes irruptione factâ iam occidebant, vaſtabant, incendebant; cum trepida eius coniux Cleopatra in cubiculum accurrens, Succurre, inquit, quæſo mi vir, occidimus, niſi ſuccurris, hoſtis poſſidet omnia. Huius vnius voce & periculo permotus, arma ſumit, vrbem & ciues exeidio liberat. Plus amori coniugis, quàm omnium charitati tribuit. De Portia vxore M. Bruti Martialis lib. 1.

Coniugis audiſſet fatum cum Porcia Bruti
Et ſubſtracta ſibi quæreres arma dolor,
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari
Credideram ſatis hoc nos docuiſſe patrem.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas;
Iuuit, & ferrum turba moleſta nega.

Vxor Senecæ maritum in ipſa morte non deſeruit, & venas ſibi vnà cum illo incidi curauit. De Thraciis fœminis multa apud Solinum c. 15. De Indicis Propertius lib. 3. Eleg. 12.

Namque vbi mortifero iacta eſt fax vltima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis.
Et certamen habent lethi, quæ viua ſequatur
Coniugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flãma pectora præbent,
Imponuntque ſuis ora peruſta viris.

Vide Valerium Maximum lib. 4. cap. 6. vbi plura mulierbris deſiderij erga maritum documenta.

CAPVT XIX.

Variæ circa coniugium quæſtiunculæ.

1. AN *deceat vt vir vxorem timeat?* Seruilem hic nullum, ſed venerabilem & reuerendum timorem volo, ac in marito requiro. Per eum enim fit, vt ſeu abſens, ſeu præſens ſit maritus, vxorem nec lædat, nec

dat, nec offendat. Ita poſtulat diuina prouidentia, à qua coniugium eſt, quam profectò contemnit, qui vxorem reuerenti amore non proſequitur. Eſt hic timor quoddam frænum, quod ab illecebris vitiorum, & illicitis vitę inſidijs maritus auocatur; amorem auget, concordiam conſeruat, amicorum fauorem conciliat, famam illæſam cuſtodit. Et verò cum ſocia viri ſit vxor, cur eam vir non reueretur ac timeret? Non eſt coniugalis amor aliud, quàm religioſus quidam conſenſus, ac proinde ſemper cum timore. Hoc timore perculſus Vlyſſes, integram multis annis fidem Penelopi ſeruauit. Non ſeruabit vnquam, qui vxorem non timebit, & reuerebitur.

II. *An vir vxorem ſuam tanquam formoſiſſimam & virtute præſtantiſſimam, etſi talis non ſit, æſtimare debeat?* Magna omninò vis eſt opinionis, & admirabiles in animo motus excitat. Ea ſi de vxoris probitate, fide, pulchritudine, amore concipiatur, & mariti animo imprimatur, id efficit, vt honeſtè viuat maritus, fidem ſeruet, ac nihil ſanctius iuſtiuſque putet, quàm caſtè religioſeque cum vxore conuerſari. Quippè honeſti viri animus ad ipſam virtutem ſolâ virtutis opinione concepta contendit. Fallatur ſanè hâc opinione quandoque maritus, felix tamen eſt error, quem non intentio praua, ſed affectio ſtudioſa gignit. Boni viri officium eſt, melius de vxore ſperare, quàm de immerente malè iudicare. Eam cum liberè elegerit ſociam vitæ futuram, acquieſcere in eius fide, ingenio, pulchritudine debet, non electionem ſuam mutato iudicio damnare. Sapiens enim eſt, id quod elegit, pulcherrimum atque optimum arbitrari. Profectò quæ contemni vxor ſe videt, non facilè placatur; amari quæ ſe animaduértit, redamare cogitur Vnde familiæ concordia exiſtit, parentum & amicorum fauor conciliatur, zelotypia & praua ſuſpicio exulat, de lupanarijs & meretricum latibulis nulla in viro cogitatio eſt, de ſecretis amoribus nulla in vxore. Ita ergò mariti agant, vt magni ſemper vxores ſuas æſtiment, & quibuſuis alijs pro ſtatu ſuo ſuâ opinione præferant.

III. *Quid ſi vxor virtute ſit præſtans, maritus vitioſus; illa honeſta, hic diſſolutus; illa prudens, hic rudis & ſtolidus?* Sit ita ſanè, amare tamen maritum vxor tenetur, cui non coactè, ſed ſpontè nupſit. Iure conqueri de marito à quo petita eſt, non poteſt, ſed de ſe fortaſſis, quæ petitioni locum dedit. Fateor deplorari infortunia poſſunt, quæ noſtrâ nobis incutia eueniunt, diſſimulanda ſunt tamen. Ouidius in Epiſt. Heroid.

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum eſt.

Et rectè Valerius Maximus. *patientia quæri debet, quod gratiâ impetrari nequit.* Non ob mariti vitia vxor aut vultum contrahat, aut faſtidium concipiat. Quippè, vt ait Quintilianus in Declam. *Triſtior vultus, querela, faſtidium, fatum eſt coniugij.* Hoc ſuadeo, vt cuiuſcumque ingenii ſit maritus, eum tamen vxor amet. Nam, Plutarcho teſte, *In coniugio amare, quàm amari maius eſt bonum.* Imò illi inſeruiat. Siquidem, vt ait Theophylactus, *dum vxor marito inſeruit, redditur ei manſuetus.* Nec ſanè fieri poteſt, vt amantem vxorem non amet maritus. *Duriſſimus enim eſt*, vt inquit D. Auguſtinus de Catech *quem redamare piget, prius amantem.* Quod ſi in delitijs & ſummo amore nequaquam vxor habeatur, æquo ferat animo. Multum eſt odij cauſam non eſſe; plurimum verò à contumelioſis verbis abſtineri, & violentas contineri manus.

IV. *Virum vir teneatur vxoris ſuæ parentes honorare, & illa mariti ſui?* Coniuges qui mutuo ſeſe amore proſequuntur, mutuos quoque parentes amant. Id amoris poſtulat æqualitas. Poſtulat etiam vnus ille duorum animorum conſenſus, qui tum potiſſimùm ſe prodit, cùm alterius alter parentes reueretur & amat. An non etiam tum in vtroque maior quidam amoris æſtus excitatur, cùm ſuos diligi æſtimarique parentes animaduertunt?

maduertunt? Contra verò ſi alterius odium in ſuos parentes ſentiat, inuidiæ flammis excitatur, & diuortium quærit.

V. *An vxori communicare Reip. ſecreta vir debeat?* Ariſtoteles lib 1. Oeconom. *Vxor*, inquit, *nihil de Rep. audiet*. Quippè quæ foris aguntur, perquirere mulier non debet, cuius eſt domeſticarum rerum curam habere. Morbus hic fœminarum eſt, commiſſa ſibi non tacere: quæ ipſæ ſciunt, in famam abeunt omnia & monſtra creſcendo fiunt. Vbi iratæ ſunt, vel à maritis etiam leuiter offenſæ rimarum tunc ſunt plenæ, & effluere omnia ſinunt. Sapienter Plato; *Qui alteri ſecretum conſilium detegit, eidem ſuam libertatem vendit*. Laudandus Papyrius, ille generoſiſſimæ indolis Romanus puer qui matri de Senatuſconſulto curioſè inquirenti, fabulam & commentum obiecit.

VI. *An viri mores tanquam legem ſequi vxor debeat?* Id ſupra affirmauimus. Propertius, *In mores te verti viri.* Hic enim eius caput eſt & Rex, ad cuius exemplum componi ipſa debet.

VII. *An vxor ſine viri præcepto neminem excipere domo poſſit?* Id ne faciat, ſupra etiam monuimus, neminem nimirum apertè malum, ſuſpectum, plane ignotum. De amicis & viris bonis nullus hic ſermo. Timendum eſt, ne pudicitiæ ſtruantur inſidiæ, aut certè neceſſaria familiæ negotia impediantur; ac deinde ne apud vicinos ſiniſtra oriatur ſuſpicio. Proba mulier oculatiſſima eſſe cuſtos debet ſui corporis, nominis, & famæ. Vſurpet illud Ouidij, *Vni mea gaudia ſeruo.* Numidarum vxores, vt teſtis eſt Plutarchus, maritis abſentibus clauſas ſemper domos, & eorum conclauium, in quibus agebant, obſeratas fores habuere. Apud eoſdem Lex erat, vt quicunque vir portam pulſaſſet clauſam ei dextra amputaretur. Fuit & apud Romanos antiquiſſima Lex, vt refert Cicero de Legibus, vt ſi quis ciuis alteri pecuniam deberet, abſente illo creditori fas non eſſet petendi debiti gratia matremfamilias conuenire, ne hoc prætextu labeculam illius exiſtimationi aſpergeret. Rectè ſanè, ac proinde multo minus otij tantum terendi cauſa quiſpiam admitti debet. *Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica* inquit Tertullianus. *Nec eſt*, vt Plautus ait, *matronarum officium, ſed meretricum, viris alienis ſubblandirier.* Et Plutarchus in præceptis Coniugum. *Mulier amicos peculiares habere non debet, ſed viri amicis vti.* Tradidit enim & corpus, & fortunas, & libertatem marito.

Additamentum.

QVia quæſtiunculæ, hic propoſitæ ſatis explicatæ ſunt, alias adijciemus.

I. *Quo tempore contrahendum ſit matrimonium?* Plato lib. 5. de Rep. Sobolem, ait, naſci debere ex ætate vigentibus. Tempus in fœmina definit annum vigeſimum, vultus eam parere debere ab anno xx. uſque ad xl. In viris annum 30. & generare deberē vſque 55. Ariſtoteles 7. Polit. vult fœminas nubere circa annum 18. Viros circa annum 36. aut non multò citius vel ſerius. Sic fiet, vt corpora amborum vigeant, ſimul generare deſinant, opportuno tempore liberi parentibus ſuccedant, & ad ætatis robur vigoremq́; peruenient, quando ſeptuagenarij parentes erunt. Heſiodus viro 30. puellæ 15. ætatis annum perſcribit. Porrò, cùm certus generationis terminus ſit præfixus, viri quidem 70. anni, mulieribus 50. coniunctionis initium penes ætatem vtriuſque tale faciendum eſt, vt his ipſis concurrant temporibus, & ſimul generandi finem faciant. Leges Ciuiles impuberes à nuptijs prohibent, ſed maſculis coniugium permittunt, ſi 14. fœmellis ſi 12. ætatis annum attigerint. Tum enim corpora vtriuſque ſexus pubeſcere, generare, & laſciuire incipiunt. Tum etiam, vt ait Macrobius, fœmellæ ad obſequium mariti flecti poſſunt. Quod ſi malitia ſuppleat ætatem, nolunt recentiores libidinis reſtingvendæ gratiâ matrimonium feſtinandum. Lentè tamen id faciendum, cauendumq́ue ne immaturæ ſint nuptiæ. Nam impuberes lædunt valetudinem, damno afficiunt rem familiarem, prolem varijs obnoxiam morbis ſuſcipiunt, & ſæpius puerperæ partus doloribus enecantur.

II. *Qua parte anni ducenda ſit vxor?* Ariſtotels

ſtoteles 7. Polit. cap. 16. hyeme id maximè vult fieri, quia tum corpora per antiperiſtaſin aucto calore multo, quàm æſtate ſint vegetiora. Vult idem attendi ad ea, quæ de procreatione liberorum Phyſici Medicique tradunt, vt ſciatur, quo tempore corpora optimè ſint affecta. Apud Romanos Menſis Maius nuptijs inauſpicatus habebatur. Iuxta tritum illud *Menſe Maio nubunt malæ*. Vnde Ouidius 5. Faſtorum.

Menſe malas Maio nubere vulgus ait.

Variæ erant illorum cauſæ, ſed ſuperſtitioſæ. Cur Eccleſia certis anni temporibus nuptiarum ſacra conuiuiaque prohibuerit Theologorum eſt edocere.

III. *An ducenda ſit vxor docta?* Iuuenalis Sat. 6.

Non habeat matrona, tibi quæ iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat Enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.

Hyppolitus apud Euripidem. Odi, inquit, Sapientem, nec meis in ædibus illa ſit, quæ pluſquam mulier ſapiat. Tractatione litterarum & librorum fiunt laſciuæ, libidinoſæ, callidæ, fallaces, audaculæ & garrulæ. Prouerbium eſt, Mulier docta raiò pudica. Vide Muretum lib. 2. Variarum lectionum, cap. 21. vbi exempla adfert. Mulieris eſt domum curare; ſatis ergò erit ſi rei familiaris notitiam habeat.

CAPVT XX.

Nonnulli veterum ritus in coniugio contrahendo.

Varij olim apud priſci æui homines in coniugio contrahendo ritus fuerunt, probandi aliqui, alij ridendi. Nonnullos proferre hic libet, vt ſeruata in coniugijs religio innoteſcat.

Teutonum Teutonum hic mos fuit, vt ſponſus ſponſaque mutuo ſibi caput raderent, quod cum libero conſenſu fecerant, nuptias celebrant.

Cimbrorum. Apud Cimbros poſtquam inter propinquos de matrimonio conuenerat, ſponſus vngues ſibi demebat, & eorum preſegmina ad ſponſam mittebat. Id cum illa quoque præſtitiſſet, iuſtum erat matrimonium.

Armeniorum. Apud Armenios ſponſus ſponſæ autem dextram, ſponſa ſponſi ſiniſtram rumpebat; quo facto ille ſe maritum, hæc ſe vxorem teſtabatur.

Elamitarum. Apud Elamitas ſolemne fuit, vt ſponſus ſponſaque ſibi inuicem digitum annularem pungerent, & manantem inde ſanguinem ſugerent, ac tum coniugalem inirent vitam.

Numidarum. Apud Numidas ambo coniuges futuri in terram expuebant, lutoque ex amborum ſputis temperato frontem ſibi inuicem collinebant.

Dacorum Apud Dacos noua ſibi mutuo nomina imponebant, quæ ſi grata eſſent, ratum coniugium erat.

Pannonũ Apud Pannonas ſponſus familiarem quendam Deum ex argento conflatum ſponſæ mittebat; illa item ſponſo; inde coniuges erant.

Tracum. Apud Thraces alter alterius fronti characterem inurebat candente ferro; ita notati coniuges habebantur.

Sicyoniorum. Apud Sicyonios calceum ſibi mutuo mittebant, qui ſi placeret, contracti matrimonij ſignum erat.

Tarentinorum. Apud Tarentinos cum menſæ nupturi accumberent, alter alterius manu tantum cibum ſumebat. Quod ſi per incuriam eorum alter ſua ſibi manu cibum ingeſſiſſet, firmum eſſe coniugium non poterat.

Scytharũ. Apud Scythas mutuo ſeſe ita complectebantur, vt ſponſus ſponſæ pedes pedibus, genua genibus, manus manibus, cubitis cubitos, capite caput tangeret.

Sacarum. Apud Sacas ſponſus cum ſponſa pugnam non de vita, ſed de victoria inibat. Si victor ſponſus eſſet, in ſponſam imperium exercebat; hæc ſi vincebat, maritum regebat.

Sed ne longior hic ſim, vide quiſquis voles Bocatium eo in libro, quem de antiquorum nuptijs ſcripſit.

In He-

In Hetruria, vt Varro refert de re Ruſtica lib. 2. nuptiarum initio noua nupta & nouus maritus primum porcum immolabant. In Bœotia in nuptijs axem plauſtri ante ſores cremabant, teſte in quæſt.Rom. Plutarcho. Et eodem in quæſtionibus Græc. apud Coas ſponſi ſponſas amplectebantur muliebrem induti amictum. Romani ſponſam introducentes dicere iubebant, *Vbi tu Caius, ego Caia.* Alij deinde erant ritus, de quibus Romani paſſim Scriptores. Mutuus apud Chriſtianos conſenſus coram proprio Sacerdote, aut alio cum eius venia expreſſus, ratum matrimonium efficit. Rituum ſuperſtitioſorum hic nihil.

Additamentum.

ID tantum hic decimus, plures poſſe ex hiſtorijs, obſeruari. Apud Chriſtianos vnicus eſt ritus, vt coniugum conſenſus coram Parocho, atque ita, vt loquuntur, in facie Eccleſiæ innoteſcat. Nimium veteres ea in re ſuperſtitioſi fuere.

CAPVT XXI.

Quæ pœnæ adulteris conſtitutæ.

CVm matrimonium intemperantiæ quoddam vinculum ſit, tum eos *Apud Iudæos.*
puniri ſas eſt, qui nuptias adulterio fœdant. Omnium eſt hac in re
Gentium conſenſus. In veteri apud Iudæos lege adultera lapidibus *Germanos*
obruebatur. Apud Germanos olim Tacito teſte lib. 2. hiſt. vir adulteram
vxorem domo expellebat,& ponè ſequens publicas per vias flagris cędebat. *Cumæos*
Apud Cumæos, vt author eſt Plutarchus in problemat. adultera ſaxo culdam inſami primum inſidebat, deinde per vrbis vicos ſummo rubore confuſa ducebatur, ac rurſus ad ſaxum illud pertrahebatur. Solebant equidem *Corthinenſes.*
Corthinenſes, vt refert Ælianus, lib. 12. adulterorum capita lanea redimere
coronâ, ſed hoc erat ſingularis infamiæ genus. Placiadæ Græciæ populi palis *Platiadas*
adulteros infigebant. Vnde Iuuenalis Satyr. 10.

—— Secat ille cruentis
Verberibus quoſdam mœchos, & mugilis intrat.

Apud Locrenſes lege à Zaleuco latâ adulteris oculi eruebantur, quam legem *Locrenſes.*
cum Zaleuci filius violauiſſet, ne impunè illi eſſet tantum crimen, oculum
vnum pater ei eruit, alterum ſibi. Ægyptiorum more receptum erat, vt ad- *Ægyptios.*
ulteri mille flagris vapularent, adulteræ verò gladio naſus amputaretur, vt teſtis eſt Diodorus Siculus lib.10. Biblioth. cap. 4.

Parthi, authore Iuſtino lib. 4. in nullũ crimen ſeuerius animaduertebant, *Parthos.*
quam in adulterium. Modum aut pœnam non ſcribit. Apud Athenienſes
cautum erat, ne adultera interficeretur. Nimirum vt diuturna eius eſſet infa- *Athenienſes.*
mia. Ei tamen templum ingredi neſas erat, aut mulctari quouis ſupplicij genere (exceptâ nece) à quocunque poterat. Marito interficere adulterum ſas
erat. Ita Plutarchus in Solone. Lucianus, in Apolog. pro Dijs, refert Saletum *Protonienſes.*
Protonienſium Principem legem tuliſſe, vt adulteri viui concremarentur.
Factus cum ipſe adulter eſſet, vt ſuo exemplo legem ſuam ſanciret, in ardentem rogum inſilijt. Apud Romanos lex Iulia capitis pœnam in adulteros de-
cernebat, vt habet Suetonius in Auguſto cap. 34. Iam antè Romulus impe- *Romanos.*
rij conditor, vt videre eſt apud Halicarnaſſeum lib 2. præceperat, vt adulteram tam vir, quam conſanguinei quouis necis genere mulctarent. Morem alium Cornelius Tacitus lib. 2. hiſtor. refert; nimirum vt adulteræ ex vrbe relegarentur per ſexcenta milliaria, adulteri per plura. Quanquam nolo ſingularum Gentium inſtituta proſequi. Habent etiam hoc tempore decretam ſibi infamiam & pœnam adulteri. Vtinam verò ij eſſent hodiè Rerumpublicarum noſtrarum mores, qui olim Spartanorum. Interrogatus ab hoſpite quodam Geradas Spartanus, quâ pœnâ adulteri plecterentur, *Nullum*, inquit, *apud nos adulterium committitur*. Tum alter, *quid ſi committeretur?*

Ibi

Ibi Geradas, *Taurum penderent, cuius caput Taygeto incumbens Eurotam biberet.* Id cum fieri poſſe ille negaret. *Neque*, inquit Geradas, *fieri poteſt, vt apud Spartanos adulter exiſtat, vbi non diuitiæ, delitiæ, adſcitius cultus probro habentur, ſed verecundia, modeſtia, legum obſeruatio, decori, laudique dantur.*

Additamentum.

PHintijs Callicratis filia apud Stobæum Serm. 72. Si mulier, inquit, adulte-ra peccet, principio Deos offenderit natalitios, vt quæ domui & cognationi non germanos auxiliatores, ſed Spurios exhibeat. Quin etiam iniuria eſt erga naturæ Deos, per quos iurauerat vna cum parentibus & cognatis ſuis ſe conuicturam legitimè cum marito ad vitæ coniunctionem & liberorum procreationem. Et in patriam quoque peccat, non perſiſtens in eius ſtaturis. Deinde in hiſce rebus delinquere, in quibus maxima pœna conſtituta eſt mors ipſa, propter magnitudinem ſceleris, quod voluptatis cauſa & petulantiæ committitur, omninò nefarium omnique veniá prorſus indignum eſt. Conſiderandum & iſtud, quod nullum inuentum eſt remedium huius delicti purificatorium, vt templa Deorum ingrediens, & accedens aras caſta & amabilis Deo eſſe poſſit. Nam huic ſceleri Deus etiam eſt infenſiſſimus, & minimè ignoſcit. Hactenus Stobæus. Quamuis autem vxor adultera grauius peccet, quàm vir adulter, quia prolem ſpuriam in fraudem mariti & liberorum legitimorum familiæ intrudit, non plus tamen in adulterio maritis licet, quàm vxoribus. Nec enim, inquit D. Ambroſius licet viris, quod mulieri non licet, & eadem à viro, quæ ab vxore caſtitas debetur. Et ſanè mariti quantò ſunt fœminis virtute ſuperiores, tantò minus contaminare ſe libidinibus debent. Hæc vna res non tantùm familijs exitium ſæpè attrahit, ſed vxores in rabiem impellit. Ouidius lib. 2. de Arte.

Sed neque fuluus aper mediatam ſæuit in ira eſt,
Fulmineo rapidus dum rotat ore canes,
Nec lea cum catulis lactantibus vbera prebet,
Nec breuis ignaro vipera læſa pede,
Fœmina quam ſocij deprensâ pellice lecti,
Ardet, & in vultu ſemina mentis habet,
In ferrum flammaſque ruit, poſitoque pudore
Fertur vt Aonij cornibus icta Dei.

Hac de re vide Senecam in Hercule Oet.

TITVLVS IV.

De Societate Paterna ſeu De Patre & Matre.

CAPVT I.

Quid ſit ſocietas Paterna, quæ materia, cauſa efficiens, finis.

Quid ſit. SOcietas paterna eſt parentum & liberorum ad rerum ſucceſſionem inſtituta ſocietas. Dicitur paterna, quod primas in hac ſocietate pater obtineat. Parentes autem, vt tradit Iſidorus libr. 9. quaſi parientes appellantur. *Materia.* Materia ſocietatis huius ſunt Pater, Mater, liberi, ſeu filij & filiæ. *Pater.* Pater eſt vir, qui ex fœminâ prolem naturâ ſibi ſimilem gignit. *Mater.* Mater eſt fæmina, quæ ſemine à viro accepto prolem ex ſe parit. Parere verò eſt fœtum emittere, quod proprium eſt fæminarum. Vndè ex coniugali ſocietate oritur Paterna. Cum enim illa ad ſobolis procreationẽ ſit inſtituta, tum per eam vir & vxor, pater & mater exiſtunt. Liberi ſunt, quicunque ex patre & matre geniti, ſeu filij ſint, ſeu filiæ. Dicti ſunt hi liberi, vt à ſeruis ſecernantur, & quod ex libero matrimonio ſint orti. Cauſa paternæ ſocietatis efficiens Natura ſtatuitur, quæ patri matrique amorem ingenerat, quo liberos ex ſe genitos educando inſtruendoque perficiant. Finis eſt rerum ſucceſſio; qui finis ex coniugij fine dependet. Cum enim per coniugium fiat, vt ab interitu

teritu genus humanum vindicetur, tum in continua illa hominum propagatione filij parentibus ſuccedunt, & res ab illis poſſeſſas, velut per manus accipiunt.

Additamentum.

NEcessitas huius paternæ ſocietatis, eadem eſt, quæ coniugalis. Fruſtrà quippè coniugium eſſet, ſi parentes inde non fierent, liberique naſcerentur. Rectè Romulus patreſque illi nouæ vrbis id obſeruarunt. Cùm res Romana adeò eſſet valida, vt cuilibet finitimarum ciuitatum bello par eſſet, penuriâ tamen mulierum, hominis tantum ætatem duratura magnitudo erat; quippè quibus nec domi ſpes prolis, nec cum finitimis connubia eſſent. Confirmat hoc Metelli Numidici ſententia, quam ad populum dixit, cùm eum ad capeſcenda matrimonia hortaretur. Si ſine vxore, inquit, Quirites eſſe poſſemus, omnes ea moleſtia careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quàm breui voluptati conſulendum. Author eſt Gellius lib. 1. cap. 6.

CAPVT II.

Quid & quanta ſit patria poteſtas?

PAtria poteſtas eſt ius, quod in liberos pater habet. Erat hæc olim poteſtas inhumana & atrox, inque vitæ ac necis iure conſiſtebat, vt videre eſt ex l. in ſuis, ff. de lib. & poſthum. Ex Halicarnaſſeo item lib. 2. & M. Tullio pro Cæcinna. Truculentiam iſtam ſuſtulerunt poſteà Imperatores, quod patria poteſtas non in atrocitate, ſed in pietate cerni debeat. Vnde grauiſſima parricidij pœnâ in liberorum interfectores eſt inſtituta. Notæ leges, noti Interpretum ſenſus. Vt ergò ad humanitatis rationem aliquam patria iſta poteſtas reuocaretur, id patri conceſſum eſt, vt moderatâ caſtigatione filios corrigat, non interficiat. *Eſt moderata quadam caſtigatio.*

Quid ſi grauius delinquat filius? Caſtigandum iudici ſententiam dicturo offerat. L. Si filius, C. de patr. poteſt. Et quanquam iure prohibiti ſint priuati carceres, filium tamen inobedientem ſi pater certo in conclaui claudat, priuati carceris pœnâ non tenetur, quod id fieri non ad cuſtodiam, ſed ad morum filij emendationem ſit exiſtimandum. Mouere hic quempiam exempla non debent. Lyſimachus filium ſuum Agathoclem veneno ſuſtulit, vt refert Iuſtinus lib. 17. Verum id quidem factum, non vero iure factum. Neque aliud ſacrarum Litterarum auctoritas vult, Deut. cap. 21. quam vt ad Ciuitatis ſeniores filius immorigerus ducatur, iudici ſiſtatur, ex eius ſententia puniatur.

Additamentum.

IMperium patris in liberos Regno ſimile eſſe docet Ariſtoteles 1. Polit. c. 8. & 8. Eth. cap. 10. Imprimis quia pater liberis imperat amore, quo liberis coniunctiſſimus eſt, & ætate, prudentiâ, authoritate præſtat, quæ notę ſunt Regij imperij. Deinde quia Iupiter Rex Deorum & hominum, pater eorundem eſt, & paſſim dicitur. Tum quia qui idem genere, ſed naturâ excellentior eſt, Rex eſſe debet. Hoc autem accidit patri ſi cum liberis comparetur. Apud Perſas olim imperium patris in liberos tirannicum erat, in quos vitæ neciſque poteſtatem habebat. De Gallis Cæſar in Commentarijs, Galli, inquit, in vxores & liberos æque ac in ſeruos ius vitæ neciſque habent. Rex Thracum Byſaltiorum, teſte Æliano lib. 5. & Herodoto lib. 8. cùm Xerxes bellum Græcis inferret, in Montem Rhodopem aufugit, filijſque author fuit, ne contra Græciam arma ſumerent; Verum cùm illi patri morem non geſſiſſent, reuerſis ijs, qui ſex numero erant, oculos eruit. Idem ius erat apud Romanos, de quo lex peruetuſta erat in XII. Tabulis; *Parentum in liberos omnes ius eſto relegandi, vendendi, occidendi*, de ea lege fusè Halicarnaſ-

carnaſſeus libro 1. Aulus Fuluius capitis ſupplicio filium affecit, quod ad Catilinam arma contra patriam ſumpturus, confugiſſet, teſte Saluſtio. Caſſius pater Caſſium filium, cùm legem Agrariam ferre vellet, populo inſpectante præcipitem è Comitijs deturbauit, & damnatum familiari iudicio neci dedit, vt author eſt Liuius lib. 2. Hanc poteſtatem in liberos Bodinus lib. 1. cap. 4. probat; alij meritò vt iniquam reijciunt. Hæcque inprimis quia vindicta nemini priuato vnquam eſt permittenda. Deinde patria poteſtas non in atrocitate, ſed in pietate conſiſtere debet, nec Deus Deuteronomij cap. 21. Degeneres & rebelles filios occidi iubet, ſed ad iudices adduci, vt non niſi cognitâ cauſâ morti addicantur. Periculum etiam eſt, ne parentes irâ victi, vel nouercalibus blanditijs deliniti cùm non eſt opus violentas manus adferant. Denique Imperatores Alexander, Seuerus, & Valentinianus poteſtatem iſtam olim paulatim imminuerunt, Conſtantinus autem planè ſuſtulit, & leges ea de re latas antiquauit. Ægyptij enim, qui ſine iuſta cauſa filium è medio ſuſtuliſſet cum filij cadauere concludebant, per triduum, vt illud ante ſe poſitum intuetur, quod ſupplicium eſſe atrociſſimum non ſine cauſa iudicabant. Ob quas verò cauſas filium pater poſſit exhæredare tradunt Iuriſconſulti.

CAPVT III.

De Partibus officij Paterni.

Tres ſunt offic.j paterni partes.

OFficium paternum in liberorum cura conſiſtit. Ij à parentibus vitam primò, tum educationem, deinde inſtructionem accipiunt. Vnde fit vt tres ſint officij paterni partes. Prima eſt circa prolem dum intra materni vteri anguſtias adhuc concluditur, ac paulò pòſt in communem hanc lucem exit. Secunda eſt circa eandem dum aut in cunis adhuc detinetur, aut circa matrem tenella greſſum figere, ac loqui diſcit. Tertia eſt ea cura, quæ in prolis inſtitutione pueritiæ & adoleſcentiæ tempore ſuſcipitur. De tribus his partibus ordine dicendum eſt. Nulla verò in re elaborandum diligentius & maiori cura parentibus eſt, quàm vt bonos liberos procreent atque educent, cùm fruſtrà multo labore facultates & opes comparent, niſi ij boni ſint futuri, quibus eas ipſi relinquere debent. Errant illi proinde & grauiſſimè errant, qui de accumulandis bonis ſolliciti quam maximè ſunt, de ſucceſſoribus verò & hæredibus ſuis nihil aut vix curant.

Additamentum.

TRes ſunt officij paterni partes, circa prolem naſcituram, circa educationem, circa inſtitutionem. Parentum enim eſt liberorum generatio, & educatio, ſub qua nutritio & inſtitutio, cui poteſtas in eoſdem ſubmittitur vt tradit Ariſt. lib. 8. Eth. cap. 10. Sed hæ partes ſingulis poſteà capitibus explicantur.

CAPVT IV.

De prima officij paterni parte circa formandam & ſeruandam in Vtero prolem.

Formare prolem debitè, & formatã cautè conſeruare.

PRima paterni officij pars eſt, vt debitè proles formetur, & formata cautè in materno vtero conſeruetur, atque vbi naſcendo in lucem prodit certo modo totum eius corpus componatur, & ad vitam retinendam ſanitatemque conſequendam diſponatur. Vt debitè proles formetur non pauca olim Philoſophi præceperunt. Atque inprimis ne commiſceatur vir vxori, quæ aut conditionis ſit prauæ, aut corporis vitioſo aliquo temperamento corrupti. Deinde vtatur ipſe cibis bonis, ijſque calidis & ſiccis, per quos optima nutritio exiſtat, & ſanguis ſpirituſque quam optimi naſcantur. Oportunum eſt cum eiuſmodi cibis moderatum exercitium. Tum non frequens ſit viri & vxoris coniunctio, neque ex libidine, ſed ex affectu procuretur. Ita fit, vt cùm bene concoctum eſt ſemen, bene temperatum,

peratum, calidumque & ſiccum, naſcantur plerumque mares, iique ſani & robuſti corporis, & ad omnem, quæ ſecutura eſt diſciplinam, & aptè diſpoſiti. Qui ignaui & laſciui ſunt, qui helluones & plus æquo genio indulgentes, dum vix in ijs ciborum perfecta concoctio eſt, aut fœminas tantùm gignunt, aut mares effæminatos, vt refert Hyppocrates. Præterea danda viro opera eſt, vt non ſtatim à menſa ad thalamum & vxorem laſciuo quodam impetu ruat, ſed tum prius, cùm in ventriculo concoctus eſt cibus. Vnde dici ſolet, *Vacuo & ieiuno ventre generandum eſſe*. Ebrij & multo cibo ſaginati, aut ineptos, aut ſibi ſimiles gignunt liberos. Quam ob cauſam cùm quendam diſſolutis moribus adoleſcentem Diogenes vidiſſet, *vt opinor*, inquit, *te pater ebrius genuit*. Apud Carthaginenſes lege ſancitum erat, *ne vir eo die vinum guſtaret, quo commiſceri vxori volebat*. Atque ea laudata à Platone lex eſt. Tanta veteribus cura erat, vt futuri aliquando Reipublicæ ciues, boni ac benè conſtituti pueri naſcerentur. Illud quoque ſedulo obſeruari voluerunt, vt cùm infirma vxor eſſet, vel corporis & ſexus ſui vitioſis humoribus languens, ad eam vir non accederet. Multa, cùm ſecus fit, in prole vitia oriuntur, & infirmitatibus obnoxium corpus, debile, ad ſapientiam adipiſcendam ineptum in lucem protruditur. Præcipiendum quoque id nonnulli putauerunt, vt vbi virile ſemen vxor recepit, in dextrum ſe latus reclinet, hocque corporis ſtatu aliquantiſper quieſcat. Horum omnium cùm ſuſcepta cura fuerit, tum altera non minor reſtat, vt cùm in vtero conceptus eſt fœtus, magnâ grauidæ mulieres circumſpectione vtantur. Qua de re ſigillatim.

Additamentum.

Plutarchus, in libello de Educatione Liberorum, iubet, vt illi, qui liberos ſuſcipere cupiunt, ſint aut prorſus abſtemij, ſeu planè non hauriant vinum, vel parcè bibant. Ebrioſi enim parentes ebrioſos & vinolentos liberos relinquunt. Spartanæ pueros iam editos corporis & animi cauſa vino abluebant. Tradit Galenus lib. 1. de tuenda valetudine, infantes recens natos, ſale modico conſpergendos eſſe. Auicenna & quidam alij tenera corpuſcula aquis, in quibus ſal colliquatus, proluere iubent, ita tamen ne os & nares contingantur, vt & vmbilicus coaleſcat, & cutis ſolidior reddatur. Sed quod attinet ad ſuſcipiendam prolem, vult Plutarchus non ex quibuſlibet mulieribus, quales ſunt meretriculæ & pellices, ſed ex genuinis & legitimis vxoribus liberos ſuſcipiendos eſſe; atque idcircò, quod parentum vitia contrahant. Non aliam ob cauſam Spartani Archidamum Regem mulctarunt, quàm quod vxorem puſillam duxiſſet, ex qua non Reges, ſed Regulos patriæ eſſet relicturus. Liberi enim parentibus ferè ſimiles ſunt naturâ & conditione. Hinc illa; Bonis à viris procreantur liberi. Mali corui malum ovum. Vt quiſquis filium ſuum vult eſſe, ita eſt.

CAPVT V.

Quæ obſeruari à grauidis mulieribus debeant, & quid circa illas?

Nihil infantuli alicuius anima pretioſius eſt, ſed nec grauidarum mulierum naturâ quicquam pene fragilius. Vnde quò dignior eſt fœtus, eò maior periculi debet eſſe metus, & quod ſtudioſius diligimus, vt ait Caſſiodorus, maiori gratiâ cuſtodire debemus. Itaque matronæ, quæ grauidæ ſunt, cogitare inprimis debent, ſe hominem in vtero geſtare, cuius pretium totius mundi opibus æſtimari non poteſt; cauendum proinde ſibi eſſe, ne illi, antequam in lucem veniat, vlla ex parte obſint. Deinde hæc, quæ à Sapientibus ſuggeruntur, obſeruare. *Varia à grauidis mulieribus obſeruanda.*

Inprimis ab inceſſu vehementiore, & ſaltu abſtineant; Nam *inter abortus cauſas eſt labor improbus, ex curſu, ſaltu, choreis, lapſu ab alto, geſtatione ex equo*,

ex equo ſuccuſſatorio. Imò, *adeò etiam inceſſus, atque omne, quicquid dici poteſt, in grauida refert*, inquit Plinius lib. 7. Curij Dentati ſoror, cum ex nocte, quæ fratris triumphum ſecuta eſt, tripudijs & ſaltationibus indulſiſſet, abortum tam infelici caſu fecit, vt ipſa extingueretur paulò pòſt, filius viuere non poſſet, pater doloris magnitudine obmuteſceret, triumphus funeſto exitu terminaretur. Ita refert Tibullus Græcus lib 3. de caſibus triumphi. Nimirum, *Fœtus poſt conceptum, & vbi tam maturuit, ſi agitetur vehementius animo vel corpore mulier, facillimè reuellitur; tempore intermedio firmior eſt coalitus.*

Secundò, abſtineant à fructibus præcocibus; & ne vomitum vehementiorem pati cogantur, diligenter præcaueant. Nam etiam *abortus cauſa vomitus eſt effrænus.* Largius poſt ductum de Volſcis triumphum cùm puellam quandam grauidam animi cauſa in hortos duxiſſet, illa dum fructuum præcocium copia inuitat, & appetitus, qui prægnantium eſſe ſolet, ſollicitat, fructibus illis ſeſe primum ingurgitat, tum irrumpente vomitu fœtuque, abortum ilico facit. Quo die pater, mater, & partus editus eodem conditi ſunt ſepulchro.

Tertiò, fugiant omnem ciborum ingurgitationem. Cùm C. Duellius è Sicilia victor Romam rediiſſet, & epulum Senatoribus ſolemne daret, læta tum fratris reditu, tum conuiuij apparatu eius ſoror, largius, quam grauidam decebat, cœnauit; vnde vomitu inter conuiuas concitato, dapes è ventriculo, ſanguinem è venis, fœtum ex vtero, animam è corpore eiecit. Ita Blondus de Imperij inclinatione refert. Quid verò triſtius tam funeſto caſu? Rectè Varro de re Ruſtica, *Prægnantem neque impleri cibo, neque eſurire oportet.* Quippè, vt ait Leo in ſerm. *Non idem vigor cordis eſt ſub onere cibi, qui ſub leuitate ieiunij.*

Quartò, caueant ne nimio timore concutiantur, vel animo de repente conſternantur. *Nam vehementes & continuæ animi perturbationes ex ira metuve inter abortus cauſas cenſentur* Soſia C. Terentij Varronis vxor, cùm Æmilium Paulum ad Cannas occiſum, maritum verò ſuum victum intellexiſſet, ſubitò conſternata pauore expirauit. Geſtabat tum forte vterum, at aperiri hic debuit, vt viua inde proles eximeretur.

Quintò, in confertam ſeſe turbam non inijciant, ne fortè impulſu aliquo premantur. Hyppolita L. Papyrij filia, cùm patri de victis Samnitibus ad triumphum redeunti ipſa grauida & partui vicina obuiam proceſſiſſet, in ipſo portæ ingreſſu, dum conferta ex omni parte multitudo premit, animi deliquium primò paſſa eſt, tum vitam paulò pòſt & ſuam & prolis amiſit. *Infans*, inquit Macrobius 1. Saturn. *donec erumpat in lucem mollibus naturæ vinculis detinetur* Minimo proinde ictu læditur. Et nunquid *homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci?* Ita Tertul. Apolog. 9.

Sextò, ne cingulo nimis arcto vinciantur. Multæ quippè ſunt, quæ vt venuſtiores appareant, ita veſtibus anguſtis, aut arctis cingulis vterum comprimunt, vt fœtum interea ſuum interimant. Martij Coriolani neptis, cùm eo die, quo inter ipſum & Romanos inita pax eſt, arctiſſimo cingulo conciliandæ venuſtatis cauſa ſuccincta fuiſſet, ineunte nocte abortum fecit, & paulò pòſt animam exhalauit. Iniuſtum ſanè eſt vitâ ſobolem idcircò tantum priuari, vt venuſtior mater appareat.

Septimò, mediocri exercitio vtantur. Otium enim etiam abortus cauſam præbet, & difficilem efficit partum. Quæ labori aſſuetæ ſunt nullo ferè negotio enituntur. Mediocria quippè exercitia facilis & felix partus ſequitur. *In multo contriſtatur natura, mediocri gaudet*, inquit Iſidorus.

Addi-

Digitized by Google

Additamentum.

SEptem hic obſeruanda præcipiuntur, ad quæ confirmanda hæc adiicimus. Inter abortus cauſas, vt Medici tradunt, eſt labor improbus, & curſu, ſaltu, choreis, lapſu ab alto, geſtatione ex equo ſuccuſſatorio. Et Plinius lib 7. plerumque abortus cauſa fit odor à lucernarum extinctu. Tanti perire potuiſti. Quippè vt ait Lucretius lib. 2.

Nidor enim penetrat, quâ ſuccus non it in artus.

Inordinati rapidioreſque motus vteri ligamenta diſſolvunt, vt Paræus ait.

Idem abortus cauſam vomitum effræmem facit. Et, abortum, inquit, faciunt, quæ maternam aluum vterumque comprimunt. Plinius lib. 8. Epiſtola 10. Abortum fecit, dum ſe prægnantem eſſe puellariter neſcit, ac per hoc quædam cuſtodienda prægnantibus omittit, facit omittenda. Ex ciborum ingeſtorum copia maiore abortum contingere omnium Medicorum opinio eſt. Ac tunc, vt Plautus ait, homines capiunt voluptates, capiunt rurſus & miſerias. Vehementes quoque & continuæ animi perturbationes ex ira metúve inter abortus cauſas cenſentur. Macrob. lib. 3. Satur. Infans, ait, donec erumpat in lucem, mollibus naturæ vinculis detinetur. Et Ambroſ. in Pſal. 118. pleriſque animantibus tam ſobria partus cura ſeruandi, vt vbi conceptionis munus agnouerint, coitum non putent eſſe repetendum, nec receptorum ſeminum fiat adulterina permixtio. Et vt ait Olaus in Epiſtolis equas grauidas dentibus accalcitratione defendunt ab viſis validi caballi. Pulli curſu elapſi pauorem ſemper retinent. Tertul. in Apologet. Non refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Varro de re ruſtica, Videndum ne grauidæ laborent pluſculum, aut in frigidis locis ſint. Proinde, vt Plutarchus in præcept. coniug. Lætum eſſe debet & officioſum mariti imperium. Quis mulierum non miſereatur propter periculum & ipſam liberorum procreationem ait Iuſtin. in l. 12. aſſidius. C. l. qui pot. in pig hab. Mater per mœrorê in partu ad hoc venit, vt ſit mater teſte Theophilacto Ioan. 16.

C A P V T VI.

Quanta cura prægnantes vxores ſeruare mariti debeant.

PArtus Galeno teſte de vſu part. omnem ſuperat naturæ admirationem. Maritus igitur nullum officiorum genus erga prægnantem vxorem omittat. Ad hoc illum amor excitabit, qui, vt ait Symmachus, *officiorum modum non tenet.* Cura eius hæc inprimis ſit, vt nimio coniugem prægnantem labore non oneret: immoderatis ipſa voluptatibus abſtineat. Grauidæ quippe mulieres propter nimios labores & immoderatas voluptates periclitantur. Deinde amicè & officioſè tractet, imitatus hac in re Leonem, qui Leænâ vterum ferente non modo illi venatione ſua victum parat, verum etiam diurnis ac nocturnis illam cuſtodijs defendit, vt Author eſt Ariſt. lib. 7. de hiſt. Animal. Plus præſtat pariendo mulier, quam poteſt; minus facit ſeruiendo illi maritus, quam debet. *Quis mulierum non miſereatur propter periculum & ipſam liberorum procreationem?* inquit Iuſtin, Imp. in l. 12. aſſiduis, C. qui pot. in pig. hab. Tum vxorem grauidam ad iram non commoueat, ne irâ excandeſcens abortus periculo obnoxia fiat. Si iracundiæ cauſam marito dederit vxor, diſſimulandum eo tempore prudenter eſt. Habenda enim tum fœtus ratio eſt, non iniuriæ; nec tanta eſſe matris culpa poteſt, quin prolis naſcituræ maior ſit innocentia. Poſtremo prægnantis vxoris conſuetudine, vltimis potiſſimum menſibus abſtineat. Cæteræ animantes poſt conceptum fœtum Venerem non expetunt, imo etiam arcent. *Præter mulierem*, inquit Plinius, *pauca animalia coitum nouêre grauida.* Addo & illud, ne vxori prægnanti quicquam maritus neget, quod honeſtum quidem ſit. Sæpè quod negatur irreparabilis damni cauſa eſt. Nam *extimulant ſæpè viros, multò verò ſæpius fœminas acriores cupiditatum aculei,*

Non oneret labore

Officioſe tractet.

Non commoueat ad iram.

Non illi commiſceatur.

Nihil illi neget.

vt ait lib. 8. Pauſanias. Illud fatendum, quod Piſtus Philoſophus dicere ſolebat, nullam eſſe duriorem prouinciam, quam prægnantem curare fœminã. Ea veró neceſſaria prouincia eſt. Mos olim in Inſulis Balearibus fuit, vt prægnantes mulieres ineunte menſe ſeptimo à viris ſegregarẽtur, templis includerentur, ex ærario publico victus illis præſtaretur. Vt nimirum propitios in partu Deos haberent, periculi metu carerent, maritorum conſuetudine non vterentur. Eſſæos cum vxoribus grauidis non conſueuiſſe refert Ioſephus lib. 2. de bel. Iud. Nullibi veró tantus grauidis mulieribus habitus eſt honos, quantus olim in Pannonia. Ijs in publicum prodeuntibus qui obuiam fiebãt, conſiſtere ac deducere eas cogebantur. Apud Carthaginenſes, qui legum ſeueritatem & pœnam timebant, ad grauidam aliquam fœminam, tanquam ad aſylum confugiebant. Perſarum Reges ſingulis mulieribus ſingulos aureos, prægnantibus duplices dabant, vt author eſt Alexander lib. 4. Apud Gallos Tranſalpinos, vt refert Fronto lib. de Venerat. Deorum, cum mulier aliqua parturiebat, vicini Deos ſuos domeſticos eius in conſpectum adducebant, vt facilem illi & felicem partum procurarent. Notum eſt Iuriſconſultorum auctoritate mulierem grauidam excuſari, ſi non veniat ad iudicium, licet valetudine non ſit impedita.

Varij Gentium mores.

Additamentum.

ARitoteles lib. 7. Polit. cap. 16. præſcribit hæc tria. I. Non deſides ſint & pigræ, ſed corpus moderatis exercitationibus & inambulatione molli vegetent. Legiſlatos itaque ſentiat, vt ſingulis diebus adeant delubra Deorum, & ea venerentur numina, quę liberorum generationi præſunt. Huius præcepti ratio manifeſta. Matris enim corpus vegetum & firmã eandem vim infanti confert. II. Cibo non tenui & ſubtili, ſed paulo ſolidiori vtantur, vt fœtui roboris aliquid accedat. III. Animum quietum habeant, & à perturbationibus vehementioribus vacuum. Fœtus enim multa cõtrahunt à matre, ſicut è terris multa ſtirpes attrahunt. Sunt qui referunt quendam Regem, cum deformis eſſet, & formoſos ſuſcipere liberos vellet, picturas elegantes ſuo in cubili ſecum habuiſſe. Qua de re Lemnius lib. 1. de occultis naturæ miraculis. Multi quæ à matribus acta ſunt, dum geſtabantur, vitæ totius moribus retulére.

CAPVT VII.

De ſecunda officij paterni parte circa prolem adhuc infantem.

SEcunda officij paterni pars eſt circa puerum iam in lucem editum. Poſtquam igitur maternum vterum naſcendo infans reliquit, calidâ & ſalſâ aquâ lauari eius corpus multi pręcipere vtiliter videntur. Ita fit enim, vt membra ſingula conſolidentur ac corroborentur, humidior infantuli caro exſiccetur, cerebrum ac nerui firmentur. Quorundam Septentrionalium populorum mos eſt, vt recéns natus puer frigidâ abluatur, idque vtiliſſimum eſſe experiuntur. Deinde materno nutriri lacte debet, quâ de re infra. Tum cibi aliqui ſuggerendi ſunt tenellæ complexionis habita ratione, inter quos lac caprinum, butyrum, & mel multi probant; ac potiſſium ſi cum melle ſaleque butyrum aut lac coquatur. Vtrumque temperatum eſt, & nutrit; mel autem & ſal ſuâ ſiccitate cerebri humores conſumunt. Non ſine cauſa Propheta dixit, *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Operæ pretium etiam eſt tenerrimam hanc ætatem frigori & calori nonnunquam exponere, vt paulatim ijs ferendis pueri aſſueſiant & infirmitas firmetur. Atque hoc primæ educationis tempore matris aut nutricis manibus fingenda ſenſim ſunt pueri membra. Id fit eius corpuſculum faſciâ aliquâ vinciendo ab humeris ad talos vſque; hac tamen cautione, ne circa pectus ac thoracem nimium conſtringatur, quod illa pectoris ac humerorum latitudo plurimum ad viri dignitatem & robur conferat. Strictius aliquantulum vinciri circa ventriculum ac pubem poteſt, ne nimirum venter protendatur,

Lauandus puer recens natus

Lacte materno nutriendus.

Lacte dein de caprino butyro, melle.

Vinciatur corpuſculũ

tendatur, quod parum decorum eſt, & ſolidior fiat, Cum bimus factus eſt puer, remoueri à lecte debet; citius verò etiam aliqui: & quemadmodum firmioribus aliquibus cum lacte cibis primo anno fouetur; ita poſtea ijs omninò inſueſcat opus eſt. Nullus verò pharmacorum ſeu antidotorum circa infantes ſit vſus, niſi aduerſa fortaſſis valetudo poſtulare videatur. Medicamentis aſſueſcere pueri non debent, ne in ſecundâ valetudine, præſidia aduerſa conſumant. Nec permittendum eſt ijs, vt ciborum genus aliquod fugiant, quantum ferre ætas poteſt, ne pati aliquando famem, cum aliud non ſuppetit, cogantur. Sit tamen ætati congruens educatio. Probat Ariſtoteles in infantibus vagitum, & vtiliter à natura datum affirmat, quod quidam ſit quaſi incrementi conatus, pectuſque ac præcordia dilatet. Ne nimius ſit tamen, cum adhuc admodum infirma ſint præcordia, frangique iſta vi poſſint. Idē Ariſtotel. vinum pueris dari prohibet; imò etiam eorum nutricibus.

Cibis firmioribus aſſu fiant.

Non verò medicamentis.

Vagitus moderatus permittatur.

Additamentum.

SPartani olim liberos recèns editos certum in locum deportabant, vt contribulium natu maximi infantem aſpicerent, quem ſi probarent, educari iubebant, ſin minus, exponi & abijci. Apud Thebanos expoſitio ſub pœna capitis prohabita fuit, teſte Æliano. Ariſtoteles 7. Polit. cap. 16. De expoſitione, ſit, inquit, lex, vt nihil quod mancum mutilum, diſtortum & monſtroſum alatur & educetur, ſed exponatur & abijciatur. Cum eſſet etiam apud quoſdam olim numerus liberorum definitus, & expoſitio interdicta, abortum procurabant, antequam fœtus ſentire inciperet. Verum & expoſitio, & abortus immanis, barbaraqùe eſt, & nihil aliud, quam parricidium. Tacitus de Germanis. Numerum, inquit, liberorum iure aut quenquã ex agnatis necare, flagitium habetur, pluſque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. Cicero pro Cluentio, laudat Iudices quoſdam, qui Mileſiam mulierem, quod ab hæredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet, capitis damnarunt. Ea igitur cura ſuſcipienda eſt circa infantes recens natos, quam hic exponimus. Cato Cenſorius nũquam paſſus eſt ſe non ſpectante filium aut lauari, aut faſcijs inuolui. Apud quoſdam Aſiæ populos, nutrices tenella infantulorum capita ita manibus comprimebant, & aſtringebant faſcijs, vt orbicularem dependerent figuram & in acumen excreſcerent. Id ipſum natura poſtmodũ imitata fuit, vt plerique, in illa gente oblongis capitibus naſcerentur. Vide Muretum lib. 12. var. lect. Ariſtoteles 7. Polit. cap. 17. Vtile, ait, eſſe pueris, ſi ſtatim frigori tolerando aſſueſcant. id enim & valetudini conducit, & ad bellicas functiones plurimum confert. Et puerorum corpora propter inſiti caloris copiam ad frigora perferenda facile cõſuefieri poſſunt. Vnde Celtæ ſeu quidam antiqui Germani recèns natos in flumen demergebant. Sed hoc etiam barbarum.

CAPVT VIII.

An matres ſuo ipſæ lacte nutrire infantes debeant.

HOc ſané eſt matrem ſe gerere, infanti vbera admouere; & quæ peperit, tum perfecta fit mater cum nutrit. Monſtri quiddam ſimul eſt ex intimis viſceribus natum infantulum ad vbera peregrinæ mulieris abijcere. *Filius caſta matre natus*, inquit Fabius de orat. dialog. *non in cellâ emptæ nutricis, ſed in gremio ac ſinu matris educetur.* Mouere matrem prolis imbecillitas debet, quæ tum maximè matrem rogat, cum rogare non poteſt. *Lachrymæ pondera vocis habent*, vt ait Ouidius. Et vt Cyprianus, *In primo ſtatim natiuitatis ſuæ ortu infantes plorantes ac flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* An non dimidiatæ ſunt matres, quæ liberos vberibus ſuis non alunt? Pariendo non tantum fit mater, ſed etiam nutriendo, adeoque ea perfecta, quæ vbi peperit, lacte ſuo alit. *Neque enim*, vt ait Ambroſius Lucæ 21. *ſat eſt cura generandi, niſi ſuppetat efficacia nutriendi.* Audi Tacitum de moribus Germ. *Apud Germanos ſua quemque mater vberibus alit: nec ancillis aut nutricibus delegantur.* Audi Fabium declam. 18. *Non in nutrices, nec in miniſteria ſepoſuit; ſuis aluit vberibus, ſuo fouit amplexu.*

amplexu. Accedit quod infantes non matris, ſed nutricis cum lacte hauriant mores. Vnde Æneas Syluius in Hiſt. Bohemica, *Alumni ex nutricibus imitantur mores.* Fieri enim non poteſt, vt matris indolem infans conſeruet, qui alienæ nutricis vberibus educatus fuerit. Adeò non vbi naſcaris refert, ſed vbi paſcaris. Id obſeruatum in pecudibus. Hœdus cùm ouis lacte alitur, teneriorem pilum & indolem manſuetiorem habet, quàm ſi capram ſuxiſſet: agnus ſi capræ lacte nutriatur, lanam duriorem accipit, & fit inquietior. Vt igitur mores formentur, nutriendi materno lacte ſunt infantes, quod plus mores viuendo proſint, quàm natura. Quis neſcit ad ingenij ſimilitudinem magnam in lacte vim eſſe? *Semper lac & ſpiritus maternus longè magis ingenij atque incrementa corporis auget*, inquit Columella lib. 7. c. 12. Et vt Macrobius 5. Saturn. *In moribus inoleſcendis magnam ferè partem nutricis ingenium & natura lactis tenet.* Proinde *cauendum eſt*, ait Symmachus, *ne pignorum noſtrorum indoles in profectu deſeratur.* Et verò ita fit, vt cum lacte materno infantes nutriuntur, ingeneratus in iis amor in parentem creſcat. Nam, teſte Gellio, *Infantis amor in ea ſola, vnde alitur, occupatur.* Et valere hic illud Plutarchi debet, victus coniunctio, intentio quædam eſt benevolentiæ. Multi olim tyranni matrem occiderunt, at nullus vnquam nutricem; ſitiunt illi ſanguinem alienum, lac verò quo nutriti ſunt, reformidant. *Permagnum eſt alieno debere idem, quod parenti*, inquit Cicero pro Plancio. Vix diligunt parentes, qui ab iis non ſunt enutriti; vix matri obediunt, qui lac eius non ſuxerunt. Habuerunt Gracchi illi Romani fratrem quendam nothum, cuius virtus Aſiatico in bello illuſtris. Is cùm Romam ex Aſia rediiſſet, matri ſuæ cingulum argenteum, nutrici monile aureum dedit. Mirabatur mater; at ille, *Ne mireris*, inquit, *tu me nouem menſibus vtero tuo geſtaſti, hæc triennio vberibus ſuis aluit; tu me infantem à tuis oculis reiecisti, hæc reiectum ſuo in gremeo excepit & educauit.* Omninò minuitur amor, cum lac matri infanti negatur. Illæ ſibi filiorum obſequia decurciunt, quæ ſuis vberibus nutriunt, vt nimirum ab ijs viciſſim in ſenectâ nutriantur. Sed & periculum eſſe poteſt, ne tradita nutrici proles permutetur, alia ſupponatur. Artabani Epirotarum Regis filius, cùm ad nutricem delatus eſſet, ſurtim è cunis eſt ablatus, & nobilis cuiuſdam alterius, conſcia & corrupta nutrice, ſuppoſitus eſt. Hic cùm Artabano in regnum ſucceſſiſſet, detecta per eandem nutricem fraus eſt, exortoque grauiſſimo inter duos Principes bello, dum hic proprium recuperare, ille alienum tueri regnum cupit, ambo eodem die atque vno prælio occubuerunt. Othomiſtes, vt refert Plutarchus, Lacedæmoniorum VI. Rex, cùm duos reliquiſſet filios, excluſo maiore, minor natu patri in regno ſucceſſit, quod hic matris vbera ſuxiſſet, ille nutricis. Non iniqua proinde illa multorum olim in Aſia regnorum conſuetudo, vt paternarum opum hæres non eſſet, qui materno alitus lacte non fuiſſet. Scoti veteres degenerare filios ſuos putabant, ſi ad aliena admouerentur vbera. Neque ſanè ad pectoris ornamentum, ſed ad liberorum alimoniam, vbera mulieribus natura conceſſit. Vnde Lactantius de Opif. *Ad nutrimenta naſcentis fontibus lactis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quàm vt ſapiens animal à corde alimoniam duceret.* Et Vincentius Serm. 2. de Natiuit. D. Virginis. *Sicut vterus matris eſt camera filij, ita vbera ſunt cellarium.* Proinde *non eſt filius iam genitus proprij atque conſueti cognatiq́ ſanguinis alimonia priuandus*, inquit Gellius. Quid agent matres cùm copia lactis vbera redundant? Si filio negent, aut effundant neceſſe eſt; aut malè perdant, aut vbera exſiccent. Id verò indignum. Hinc cùm Annius Minutius Romæ Cenſor cuiuſdam amici ſui coniugem paulò antè enixam vidiſſet ob lactis copiam vbera catellæ dare, ingens vrbi malum

lum euenturum in Senatu denuntiauit. Prodigium iſtud iudicabat. Sed illud maius, quod quædam medicamentis neſcio quibus ſanctiſſimum illum fontem humani generis educatorem areſaciunt, non ſine etiam aduerſæ valetudinis periculo. Quamobrem verò? vt venuſtæ & gratioſæ maritis aut amatoribus ſuis appareant, illudque Martialis non audiant.

Aut tibi pannoſæ pendent à pectore mammæ,
Aut rugas vteri prodere nuda times.

Scelus hoc profectò eſt, nec à ſeuitia abeſt. At, inquies, infirmam eſſe matrem & delicatulam; *parcendum illi, ne ad nixus laborioſos nutricationis munus graue accedat.* Equidem laborioſa matribus filiorum educatio eſt, ſed ad ſanitatem vtiliſſima. An non quæ pariunt ſaniores ſunt, quam quæ non pariunt? Ita rectius valent, quæ lactant, quam quæ non lactant, vt ait Antonius de Gueuara. Vtinam ergò quæcunque matres ſunt, matrum munus vt pariendo, ita nutriendo, expleant.

Additamentum.

HAc de re grauiter & eruditè philoſophantur Plutarchus in libro de Lierborum educatione, Phauorinus apud Gellium lib. 12. cap. 1. Xenophon lib. 2. de Inſtitutione Cyri. Coniunctus mutuam beneuolentiam auget, idque in feris liquet, quæ ſe inuicem deſiderant, ſi ſimul educatæ diſtrahantur. Contra ſi partus ablegentur à matribus vinculum & coagulum mutui amoris interſcinditur, & omninò diluitur. Vigor enim maternæ flagrantiæ paulatim refrigeſcit, & quaſi morte ſint amiſſi liberi, ſenſim obliuioni traditur & reſtinguitur. Infans autem nutricem amare conſueſcit, & matris, quæ genuit, neque deſiderium, neque ſenſum capit. Omnes animantes ſuos pullos fouent, alunt, educant, tuentur. Ab his Naturæ legibus diſcedere homines non debent. Nihil infanti tenello ſalubrius, quam cognatum & familiarem haurire ſuccum, & a ſlueto colore foueri. Idem enim ſanguis & infantem alit in vtero, & in pectore, niſi quod hic vi decoquenris caloris exalbuerit. Iuſtinus lib. 44. de Habide refert, qui inter feras enutritus ferarum more multis annis vixit. Virgilius lib. 4. Æneid. exprobrans feritatem morum Æneæ in perſona Didonis ait:

Non tibi Diua parens generis, nec Dardanus author,
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt vbera Tygres.

Olim cùm duo pueri agreſſibus & paupercul is nati parentibus, alter porcino, alter caprino lacte, nutrirentur, poſtquam adoleuerunt, hic quidem à dumetis & frondoſis montium iugis, ille à lutoſis paludibus auelli non potuit, vt refert Philelphus lib. 1. cap. 3. Arbores lætæ & nitentes in locum alium tranſpoſitæ ſucco deterioris terræ depereunt. Vitis in alium collem tranſlata mutat ingenium; planta reuulſa à parente terra, flacceſcit & emoritur. Triticum ſi conijciatur in locum alienum, degenerat in auenam & ſiliginem. Hæc cauſa plerumque eſt, cur filij parentibus nec corpore nec animo ſimiles ſint. Inde prouerbia illa, *Heroum filij noxæ.* Malitiam cum lacte materno imbibere. Bene Phauorinus, Quod eſt, ait, hoc contra naturam imperfectum & dimidiatum matrum genus? peperiſſe atque ſtatim à ſe abieciſſe? aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videres, non alere nunc ſuo lacte quod videas? Nimirum, iam viuentem? iam hominem? iam matris opem implorantem? Apud Romanos, teſte Tacito, ſuus cuique filius ex caſta matre natus, non in cella emptitiæ mulieris, ſed in gremio & ſinu matris educabitur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inſtituere liberos. Vide Ariſtotelem lib. 7. Polit. cap. 17.

CAPVT IX.

Cuiuſmodi liberis alendis eligendæ ſint nutrices?

QVod ſi planè conſtitutum eſt tenellis matribus ſibi parcere, & vbera ſua exſiccare, ſint tamen in eligendis nutricibus prudentes. Non quibuſuis vteri ſui theſaurum credant. Nutrices, quantum res patitur, optimæ ſunt eligendæ, inquit Fab. lib. 1. c. 1. Has in ijs conditiones requiro.

I. Sint

Honeſtæ & probæ. I. Sint honeſtæ & probæ. Nam pueri nutricum & pædagogorum mores in adoleſcentia referunt, vt ait Seneca. Imò, *Puerorum infantia primo errorem cum lacte bibit*, ait Prudentius. Ne ergò matres tam ad nutricum formam, quam ad vitam honeſtam & probam attendant, quod illæ plus vitæ improbitate noceant, quam lactis candore proſint. Ideò M. Aurelius Imperator, cùm improbæ cuidam mulieri, ſed formâ venuſtæ, datus eſſet alendus filius, non ſolùm domo illam expulit, ſed ex vrbe relegauit: vltimo etiam ſupplicio affeciſſet, niſi vbera filio dediſſet.

Sanæ. II. Sint ſanæ corpore. *Lac*, inquit Varro lib. 2. de re Ruſtic. *melius eſt à valentibus, & ab ijs, quæ nondum veteres ſunt.* Ex lacte, quod infātes ſugunt, omnis vitæ ſanitas dependet. Eleganter ergò, quæ proſperâ valetudine vtantur, non imbecilles & morbidæ. *Propter lactis & educationis vitia ſæpè infantes degeneraſſe compertum eſt*, inquit Alexander. Imò etiam nutricis morbi ad alumnum tranſeunt. Titus Veſpaſianus maximam vitæ partem grauibus obnoxiam morbis egit, non aliam ob cauſam, quam quod morbide lac nutricis ſuxiſſet.

Temperamento filij conuenientis. III. Cognito filij alendi temperamento, eiuſdem temperamenti ſint nutrices. Vt nimirum infantis humori nutricis lac reſpondeat.

IV. Sint temperantes, ac plerumque vno, eoque bono cibi genere vtentes, quo lac melius efficiatur. Illud quò candidius eſt, eò melius eſt; nihil quippè aliud eſt, quam ſanguis albus. Admiranda naturæ prouidentia ſanguinem, quo pueri nutrirentur, voluit in lac dealbari. *Sola autem lactis confectio, diſpenſatióq́*, inquit Plutarchus, *ad demonſtrandam naturæ prouidentiam ſufficit.* Semper in abundantia cibi aliquid incommodi eſt. Lupa, etſi animal vorax, edito fœtu mirum in modum in edendo temperans eſt, de die ſemel tantum paſcitur, vt nimirum lac in ſe commodum catulis alendis efficiat. Quare quæ lactat, tot illa fercula à ſe amoueat, & delitias à ſe reſpuat. Apud Thraces, mulier quæ puerum lactabat, vrticis in caprino lacte coctis vtebatur. Sicut autem vini vſus Romanis fœminis erat ignotus, ita expedit, vt quæ lactant, aut nullo, aut modico vino vtantur. *Lac*, inquit Ariſtot. 7. Polit. *vini expers ſit propter morbos.* Pati non oportet infantem periculoſo contagio infici.

Temperantes. V. Sint pudicæ & continentes. Quippè *concipere nutrices*, inquit Plinius lib. 28. *exitioſum eſt.* Et Gal. *Nocentius puello adhuc lactanti nihil eſt, quàm nutricem in vtero concipere. Quicquid enim ſanguinis optimum eſt, in fœtum abſumitur. Non miror modo, ſed deterior redditur grauidæ ſanguis, & lac tum peius, tum exiguum colligitur.* Quis neſcit animantia bruta dum lactant, neque à fœmina marem admitti, neque à mare fœminam expeti? Aues non ante oua ponunt, quam pulli priores adulti volent. Cùm Sabina puella Campana, vt refert Plutarchus, ex Cn. Fuluio filiam ſuſcepiſſet, contigit, vt eo tempore, quo illam lactabat, ab equite quodam compreſſa conciperet, nec ab vberibus tamen ſuis infantem remoueret. Id poſteaquam Fuluius intellexit, equitem ſecuri percuti iuſſit, Sabinam puteo ſubmergi. Vna erat ſupplicij cauſa, quod lactans grauidam ſe reddi paſſa eſſet, & filium vnum vberibus nutriret, alium viſceribus occultaret. Miſericordia tamen motus ſententiam reuocauit, & perpetuo exilio mulctauit. *A Venere omninò abſtinendum eſt ei, quæcunque lac præbet*, vt Galenus de tuenda ſanitate ſcribit. C. Fabritius liberorum ſuorum nutrices, domi ſuæ nequaquam patiebatur, ne grauidæ caſu aliquo fierent, at tunc lacte corrupto infantes perimerentur. In æde Veſtalium Virginum illas includebat. Apud Baleares, quæ liberos lactabant, biennio à virorum conſortio ſegregabantur.

Pudicæ & continentes. VI. Sint bene moratæ. *Quid enim*, ait Auguſtinus de Caſt. *prodeſt homini*

mini filium habere, nutrire, amare, ſi æternis eum nutriat tormentis? Non ſint igitur nutrices ſuperbæ, mendaces, procaces, fraudulentæ, malitioſæ. Gellius lib. 3. *Non mammoſa, non armoſa, non biboſa, non procax.* Tiberius Nero vini auidus fuit, & Biberius mero dictus, vt teſtis eſt Suetonius, quod nutrix eius vino vſa fuiſſet, & illum vinoſis offulis ablactatum nutriviſſet.

I. *Quo tempore remoueri à lacte puer debet?* Galenus lib. de tuenda ſanitate, puellum quoad primores dentes emiſerit, ſolo lacte alendum docet. Chryſippus, vt refert Fab. lib. 1, triennium nutricibus dedit. Macrobius in Som. *Poſt quinquies ſeptem menſes*, inquit, *infans incipit lac nutricis horreſcere, niſi fortè ad patientiam longioris vſus continua conſuetudine protrahatur.* Ariſtoteles vt breuiſſimè ſeſquiannum, vt longiſſimè biennium definit. *Queſtiuncula.*

II. *An infantes eodem vti lecto cum nutricibus debeant?* Nequaquam; ne nimirum nutrices arctiore ſumno correptæ infantes per incuriam ſuffocent.

Additamentum.

POlitici volunt in nutricibus ſpectari corpus, animum, ſermonem. Corpus, vt non ſint prægnantes, non nuper puerperiæ, ſint à viris ſegregatæ, nullis morbis obnoxiæ, maſculos parere ſolitæ, colore viuido, corpore robuſto, carne nec macilenta, nec pingui, ætate florenti maximè inter annum 25. & 35. Animus ſit talis, vt non ſint ſeruiles, impudicæ, leues, futiles, guloſæ, temulentæ, iracundæ, inuidæ, maledicæ, ſed ingenuæ, caſtæ, temperantes, manſuetæ, & ab omni perturbatione vehementiori liberæ. Sermo non ſit balbus & vitioſus, ſed expeditus, elegans, verecundus. Has enim, inquit Fab. lib. 1. c. 1. primas audit puer, harum verba effingere imitando conatur. Ita Gracchorum eloquentiæ multum attuliſſe accepimus Corneliam Matrem, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt Epiſtolis traditus. Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur teſte eodem Fabio. Olim Lacænæ nutrices optimæ iudicabantur; quas etiam exteri infantibus alendis præficiebant, vt refert Plutarchus in Lycurgo. Vide illum in libello de Liberorum educatione.

De ablactatione hic vna quæſtiuncula eſt. Ea olim poſt triennium fiebat, aut certè exeunte triennio. Hinc mater illa ſeptem Martyrum in Machabæorum Hiſtoria. Te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi. Noſtro ævo nutrices poſt biennium, aut nondum expleto biennio infantulos ab vbere depellunt. Hinc conſuetudini ſuffragantur Medici, qui humidiori illo & tenuiori lactis alimento diutius paſtos putant inualidos corpore ac mente ſtolidos fieri. Primis ſæculis naſcentis aut adoleſcentis mundi diuturnius erat lactationis tempus. Hinc vt legimus apud S. Hieronymum Iſaac cùm à lacte depulſus eſt, quinquennis erat. Et olim ablactationis die parentes epulum dabant.

CAPVT X.

De tertia officij paterni parte circa prolis inſtitutionem.

TErtia paterni officij pars eſt, prolis inſtitutio. Parum enim eſt genuiſſe, niſi bene inſtruas; neque vita beneficium magnum eſt, ſed bona vita. Vnde Plutarchus, præſtare, ait, non naſci, quam fieri malum inopia curatoris & cuſtodis. Equidem optare filios parentes debent, qui eorum in ſenectute vitam cum dignitate tueantur, & famam poſt fata immortalem præſtent, diuitiarumque ſint hæredes; at verò perraro eiuſmodi ſunt filij, niſi à parentibus primis pueritiæ annis honeſtè ſint educati inſtructique. Rectè Plato lib. 6. de Legibus. *Pueris bene educatis omnia nobis rectâ nauigatione procedunt.* Quippè, vt ait Polybius lib. 1. *Maximam vitiorum partem adfert praua à teneris educatio.* Cauſam Verrina 3. M. Tullius adfert, *Suſcipiuntur liberi non ſolùm patri, ſed etiam patriæ, qui non modo patri voluptati, ſed etiam qui aliquando vſui Reip. eſſe poſſint.* *Patris eſt prolem inſtruere.* *Neceſſitas inſtructionis.*

Præcep-

Præceptum eſt Sapientis Eccl. 7. *Filij tibi ſunt ; erudi illos, & curua illos à pueritia ſua.* Niſi pulchris in vere folijs arbor frondeſcat, fruſtrà fructus bonos in Autumno expectabis. Ea verò vis eſt educationis, vt naturam non rarò totam immutet. Id duorum exemplo canum ſapienter Lycurgus oſtendit. Vnus domi in culina nutritus erat, alter in campis venationi aſſuetus : ijs autem cùm propoſita offa eſſet, ac ſimul lepus obiectus, ille contempto lepore in offam proſiluit, hic offâ relictâ leporem eſt inſecutus. Verè educatio altera eſt natura ; nec pueri boni aut mali naſcuntur, ſed fiunt : imò quorum indolem natura ad malum inflectit, educatio ad bonum conuertit. Talis quiſque eſt, qualis educatio fuit. Diogenes, vt refert Sextus Chæroneus, Attico cuidam ciui, ad vitæ tranquillitatem innocentiamque conſequendam, tria hæc præcepta dedit. *Deos cole, liberos tuos rectè educa, Erga bene meritos & amicos gratus eſto.* Ex tribus autem illis vtiliſſimam, etſi moleſtiſſimam, liberorum educationem eſſe iudicabat, quod nullus capitalior contingere hoſtis poſſit, quàm filius non rectè educatus. *Fons & radix virtutis ac honeſtatis vitæ eſt inſtitutio proba*, inquit Plutarchus de liberis educ. Et Sidonius 6. Ep. 4. *Talem quiſque deſcendit ad terminum, quale cœpit habere principium.* Igitur in hanc curam libenter ac ſedulò parentes incumbant, vt probè filios inſtruant, & quam optimos reddant. Quicquid improbis relinquitur, perditur. Obligatio quædam hic eſt, quam effugere parentes non poſſunt, quia vitam filijs dederunt, & hæredes ſuos eſſe volunt.

Additamentum.

ECcleſiaſticus cap. 30. Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Et cap. 13. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Salomon ad filios ſuos Prouerbiorum c. 4. Audite filij diſciplinam patris, & attendite, vt ſciatis prudentiam. Et vt ſuo exemplo addat illis ſtimulos ſubiungit. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, & dicebat, ſuſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea & viues. Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. Neceſſarium igitur eſt, vt parentes filios, quos genuerunt, inſtruant, Quia, vt dicitur Prouerbiorum cap. 22. Stultitia alligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit illam. Crates apud Plutarchum de Inſtitutione liberorum, Si poſſem exaudiri, inquit, ab omnibus hominibus, conſcenderem altiſſimam turrim & clamarem. Quo ruitis, Ciues, qui in corradendis opibus nec diurnis laboribus parcitis, nec nocturnis, ſed interim educationem liberorum, quibus hæc relinquenda ſunt omnia, negligitis? Et quidem hoc qui faciunt, ſimiles ſunt, teſte Xenophonte, ijs, qui multo pabulo equos alunt & pingues reddunt, ſed ineptos ad bellum. Aut ijs, qui de calceis cogitant, & pedes interim negligunt. Videri poteſt apud Plutarchum factum illud Lycurgi duos catulos in forum producentis, quorum exemplo vim educationis ciuibus ſuis ob oculos ponebat, quemadmodum hic referimus. Ex hac puerorum inſtitutione exiſtit vtilitas familiæ, parentum, & Reipublicæ. Familia bene regitur & tranquilla eſt, vbi bona diſciplina liberorum eſt. Parentibus verò gaudium & honorem adfert ; at ſi negligatur, dedecus. Siquidem confuſio patris eſt de filio indiſciplinato, vt ait Sapiens cap. 12. Et cap. 16. Melius eſt mori ſine liberis, quàm relinquere filios improbos. Reipublicæ vtilitas ex eo eſt, quod iuuenta ſit Reipublicæ Seminarium, taleſque viri exiſtant, quales fuerint iuvenes ; tales verò ſint iuvenum mores, quales educatio, inſtitutio, diſciplina, vt docet Plato lib. 4. de Rep. Hæc enim ſi ſit prępoſtera, nequam pueri, adoleſcentes nequiores, & viri nequiſſimi euadunt.

CAP.

CAPVT XI.

Quod tempus ſit inſtitutionis, & quæ eius partes.

Quartus aut quintus ætatis annus.

POrrò ſuſcipienda pueriles huius inſtitutionis cura eſt, cùm quartum aut quintum ætatis annum puer attingit. Tum enim figere greſſum per ſe ipſe poteſt & loqui; tum memoria in illo apparet, & quædam imaginandi vis; tum ratiocinari quodammodo incipit. Sicut autem tenera eſt, flexilis, & omni humore obſequentior illa ætas, ita proponenda illi ſunt tantum, quæ optima & honeſtiſſima. Nam Poetâ teſte, *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu.*

Facilè pueri percipiunt & tenaciter retinent. Eſt velut raſa tabula eorum natura, colores imbibere quoſuis poteſt; ij proinde vt optimi ſint, & veri honeſtiſſimorum morum colores, diligenter curandum. Nec aliunde tanta vis eſt educationis, quam quia mollis & tener animus quiduis imprimi ſibi facile ſuſtinet, impreſſo difficile caret.

Tres inſtitutionis pueriles partes.

Cæterum inſtitutionis huius tres eſſe partes poſſunt. Ac prima quidem circa mores, ſecunda circa corpus, tertia circa ingenium. Regendi enim ſunt mores, componendum ad virtutis actionem corpus, formandum artibus & ſcientijs ingenium.

Additamentum.

HErodotus lib. 1. refert Perſas ſolitos fuiſſe inſtruere liberos ab anno quinto vſque ad viceſimum. Eratoſthenes & Ariſtophanes minores ſeptem annis non inſtituendos eſſe putarunt, præſertim litteris, quod ætas illa nec adhuc intellectu capere, nec laborem pati poſſit. Chryſippus & Quintilianus ætatem ante ſeptennium volunt omni cura vacare, ſed quia pueri poſtquam loqui cœperunt, faciant aliquid neceſſe eſt, cenſent vt quaſi luſitantes & aliud agentes diſcant honeſta morum, & vtilia litterarum præcepta. Et licet parum ſit hoc ipſum, quod diſcunt, tamen per ſingulos annos prorogatum in ſummam proficit, & quantum in infantia præſumptum eſt temporis, adoleſcentiæ acquiritur, vt ait idem Quintilianus. Certe ſi plenior inſtitutio magiſq; ſeria huic ætati nondum conueniat, poteſt ſaltem eſſe inchoata. Ariſtoteles lib. 7. Polit. c. 17. Omnibus, inquit, rebus, quibus pueri aſſuefieri poſſunt, ſtatim ab ineunte ætate eos aſſuefacere melius eſt. Nimirum dummodo ſenſim & paulatim fiat.

CAPVT XII.

De formandis puerorum moribus.

Mali mores primo impediendi.

IGitur formandorum cura morum circa pueros eſt prima, ac tanti ſanè momenti, vt non minorem ex ea gratiam exigere à filijs parentes poſſint, quàm quod eos genuerint. Quippè nulla aut maior, aut vtilior tradi diſciplina mortalibus poteſt, quàm bene viuendi ratio, propter quam non minores ſe gratias Areſtoteli Præceptori debere, quàm Philippo patri Alexander dicebat. In duobus autem hæc omnis formandorum morum ratio conſiſtit: inprimis vt naſcentes in pueris mali mores, & prauæ inclinationes impediantur; deinde vt boni certa diſciplina inſerantur. Atque hæc cura matris eſt primum, tum vbi ad ſeptimum peruenerint annum, patris. Porrò hæc impedienda in pueris ſunt primò.

Non mentiri.

I. *Ne mentiantur*. Vilis enim abiecti, ſeruilis, timidi animi eſt mentiri. Vna erat puerorum apud Perſas diſciplina, *Verum ſemper dicere, mentiri nunquam*. Sed nimia aliquando parentum aut inſtructorum ſeueritas mendaces reddit pueros, dumque timent pœnam, mentiuntur vt euadant.

Non impudentes eſſe.

II. *Ne ſint impudentes, ſed verecundi*. Seneca, *Bonum in adoleſcente ſignum eſt, cùm illi ex alto robur ſuffunditur*. D. autem Bern. *Pulchra & ſplendida gemma eſt morum verecundia in vita & vultu adoleſcentis, vera & minimè dubia bonæ ſpei nuntia*. Adeò etiam mentis ſtatus in fron-

te conſiſtit, & cognatus virtuti eſt pudor. Ne ſit tamen ſubruſtica iſta verecundia, & ſtulta quædam animi deiectio, quæ efficit, vt pueri ſeſe occultent, caput demittant, pati admonitionem non poſſint, ad quodvis verbum toti erubeſcant, & omnibus artubus contremiſcant.

Non iracundos & pertinaces

III. *Ne iracundi, pertinaces, & obſtinati ſint* Sicut autem, teſte Seneca, *nihil facit magis iracundos, quàm educatio mollis & blanda*, ita non nimia eſſe parentum indulgentia debet. Nihil pueri per iracundiam exorent, nihil pertinacia ſua obtineant, nihil lachrymis. Imò negetur flentibus, quod quietis poſtmodum offeratur. Quò plus indulgetur, quò plus licet, eò corruptior eſt animus. Errant illi parentes, qui pueros ſuos pene ſuppliciter rogant, & lachrymas ſolliciti abſtergunt. Qui nihil vnquam negant, dando perdunt

Non otioſos & delicatos.

IV. *Ne ſint otioſi & delicati* Seneca, *Dabimus aliquod laxamentum, in deſidiam verò otiumq; non diſſoluemus, & procul à contactu delitiarum retinebimus.* Sed iterum hac de re poſteà.

Non ſuperbos.

V. *Ne in veſtibus, inceſſu, geſtibus, loquela ſint ſuperbi.* Quicquid enim in rebus eiuſmodi nimium eſt, vanum eſt, & diſplicet. Sapiant ſine pompa, & ſine inuidia.

Non intẽperantes.

VI. *Ne ſint intemperantes,* Vetat Plato ne cibis pueri impleantur; diſtenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumeſcunt. *Caueant,* inquit Cicero, *intemperantiam.* Sed à libidinibus potiſſimùm hæc ætas arcenda eſt. Concepta enim impudicitiæ ſcintilla in puerorum animis, magnum in iuvenibus & viris poſteà incendium. Primus ille feruor in fœdam diſpumat luxuriam.

Non luſibus indecentibus deditos.

VII. *A ludis non decentibus abſtineant.* Ita monet Plato. *Statim à teneris annis pueri honeſtis iocis aſſueſiant, ne ſi ludis minus decentibus aſſueſcant, nunquam in viros probos euadant.* In luſu etiam verecundiæ meminerint. Seneca, *in certamine,* inquit, *aſſueſcat puer non nocere velle, ſed vincere. Quoties ſuperauit; & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non geſtire patiamur. Gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æſtimatio ſui ſequitur.* Luſus eos, in quibus ſine honore pericula ſunt, ne diſcat tenerior ætas. In multis luſibus pudor naufragatur.

Non improborum conſortio.

VIII. *Ab improborum conſuetudine reuocentur.* Stoïcorum hæc ſententia eſt. *Cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt, illoſq; admitte, quos tu potes facere meliores: mutuo iſta fiunt, homines dum docent, diſcunt.* Vidiſſe aliquod ſcelus, hic imbibiſſe eſt; & vno exemplo diſcunt pueri, quod in omnem ætatem nocet. Vitij grauioris memoria in puero non cum ætate ſequenti, ſed cum morte tantùm ponitur. Præcipit idcircò Plato, ne pueri in ſeruorum, ancillarum, & vilium hominum conſortia admittantur, ne turpes iocos, fœdas nugas, fabulas, & quiduis aliud, quod minimè deceat, addiſcant. Viles vilia docent, & fere turpiter loquuntur. Interim vt ait Mantuanus;

Verba mouent animos, oris laſciuia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Præcipi putant pueri, quod fieri vident. Et, vt Seneca:

Peiora iuvenes facilè præcepta audiunt.

Non hiſtriones.

IX. *Hiſtrionicam in pueris parentes non ferant.* Ea enim mores diſſoluit, & iuvenis hiſtrio fit ſenex morio. Grauitatem diſcant in verbis, geſtibus, inceſſu,, actionibus omnibus, & præ ſe ferant.

Quæcunque denique vitia in prima ætate ſeſe exerunt, comprimantur. Nam permiſſa, fruſtrà poſteà, aut certe difficile, corriguntur. *Et vitia,* vt ait Fabius lib. 1. cap. 2. *niſi primis eximantur annis, inemendabili in poſterum prauitate durantur.*

Boni mores.

Tranſeo nunc ad mores bonos. *Sublato malitiæ ſemine*, inquit Ambroſius. *nequitiæ fructus areſcunt*. Igitur altera cura hic ſit, vt tenera ætas bonis moribus formetur. Quippè *ætas tam dura, & intractabilis non poteſt reformari; tenera finguntur*. Seneca Epiſtola 25. Et idem *Facillimè tenera concitantur ingenia ad honeſti rectique amorem.*

Deum timeant.

I. *Inprimis diſcant Deum timere & uereri*. De eius infinita Maieſtate modicè & timidè loquantur. Non diſputare præſumant, ſed credant, obediant, adorent, obſeruent. Pietas erga Deum prima ſit puerorum diſciplina.

II. *Sint ingenui, candidi, liberi*. Non ſpe aut metu fiant boni, ſed virtutis amore. Huius illis oſtendenda excellentia eſt, vt non ſeruiliter, ſed cum dignitate fiant probi. Cogitent non commodum, ſed honorem, & ad hunc animus, ſi non naturâ, ſaltem diſciplinâ erigatur.

Sint ingenui & candidi.

III. *In omnibus, & erga omnes ſint modeſti*. Hæc modeſtia efficit, vt non cuiuis contradicant, ac verbis repugnent; non pertinaciter quiduis affirment, non docere ſed diſcere; non aſſerere, decernere, reſoluere, ſed ſuauiter & moderatè loqui velint. Non grati ſunt pueri, qui nimium curioſi, aut elati.

Sint ſuaues & faciles.

IV. *Diſcant in aliorum conſortio ſuauitatem ac facilitatem ſeruare*. Quo facilior eſt puer, eo amabilior; & prima commendatio eſt à morum ſuauitate. Sciant humaniter ſalutari & reuereri, parum & modeſtè loqui, cum ſubmiſſione reſpondere, obſequium præ ſe ferre, & obedientiam, longè tamen ab aſſentatione abeſſe.

Maioribus aſſurgant.

V. Maiores natu reuereantur, & illis aſſurgant; perſonis item ſacris. Ea erat Lacedæmoniorum diſciplina, vnde nullibi melius, quàm Spartæ ſeneſcere. Quintilianus pulchrè de puero lib. 1. Inſtit. cap. 2. *Audiat multa quotidie probari, multa corrigi; proderit alicuius obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria, excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe maiores. Accendunt omnia hæc animos; & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt.*

Reliquæ virtutes teneris animis ſenſim pro occaſione inſtillabuntur. Sed exemplo præire parentes debent; & cum vitæ filiorum ſuorum interſint, obſeruentq; an ex formula ſua viuant, tum ipſi exempla virtutum omnium filijs eſſe debent. Prudenter Seneca, vt ad virtutem viam doceat. *Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla.* Facta dictis potentiora ſunt, & in imitationem facilius veniunt, ſuntque velut calcar quoddam. Verè dictum,

—— Velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeunt animos auctoribus.

Proinde, vt monet Plato, parentes *ſummopere caueant, ne quis iuuenum eos videat, aut audiat agentes turpe aliquid, vel loquentes*. Id ille de ſenibus, quorum exempla ob ætatem, & prudentiæ opinionem fortius illabuntur. Libenter iuuenes Præeuntes ſenes inſequuntur. Hac de re iterum poſtea.

Additamentum.

QVædam hic in pueris impedienda circa mores, quædam etiam inſerenda docemus; vitia illa ſunt, hæc virtutes. Apud Perſas erat conſtitutum, ne cui liceret dicere quod facere non liceret, vt refert Herodotus lib. 5. Iuvenalis Satyr. 14.

Nil dictu fœdum viſuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt; procul hinc, procul ite puellæ,
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia; ſi quid
Turpe paras ne tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Et quia ſermo, vt ait Democritus eſt operis vmbra, & hominis ingenium moreſque

 ex Ora-

ex Oratione cognoſcuntur, pueri ab obſcænis ſermonibus ſunt arcendi. Ex turpiter loquendi licentia, ſequitur & turpiter faciendi. Diſcant pueri, quod optimè Cato ait:

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam,
Proximus ille Deo qui ſcit ratione tacere.

Apud Spartanos Ephori decimo quoque die pueros inſpiciebant, eoſque puniebant, qui eſſent molliores & pinguiores, teſte Plutarcho in Lycurgo. Ingeſtione nimia ventriculus oneratur, interturbatur ſomnus, grauedo capitis attrahitur, oris graueolentia naſcitur, ingenium hebeſcit & obtunditur. Vide Senecam Epiſt. 114. Et quia Plato apud Laertium ait, Quod quiſquis ſomnolentus, is homo eſt nullius pretij, à nimio ſomno prohibendi ſunt quoque pueri. Martialis lib. 13.

Dormitis nimium glires, vitulique marini;
Nil mirum ſi vos craſſa Minerua premat.

Ad hoc caput referri poteſt totus Plutarchi libellus de Educatione Liberorum.

CAPVT XIII.

De componendo ad virtutis actionem puerorum corpore.

COmponendum etiam ad virtutis actionem eſt puerorum corpus, non quidem poſt morum diſciplinam, ſed ſimul. Paucis expedio. In labore nutriantur pueri, non in otio. *Labor callum obducit dolori.* Non molliter veſtiantur, non delicatè nutriantur, Etiam, inquit Ariſtoteles, *conſueſcant primâ ætate pueri frigora perferre, quod & valetudini plurimum conducit, & rei etiam militari.* Ita fit, vt omnis mollities eliminetur, & robur quoddam induat corpus. Eiuſdem eſt ſententiæ Horatius lib. 3. Od. 2.

Anguſtam amicè pauperiem pati,
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſtâ,
Vitamque ſub dio, & trepidis agat
In rebus.

Indurentur eorum muſculi & nerui; totum corpus vegetum fiat, & robuſtum. Poſſint famem & ſitim pati; nihil interſit, quis cibus apponatur, quiſve eius ſit ſapor, dummodo nutriat. Nunquam illuſtres fiunt viri, qui delicatuli ſunt pueri. Vigilare, humi cubare, modicum ſomnum carpere, laborare, qui puer ſcit, in magnis vir erit. *Primi anni non in luxuria, ſed in opere & in laboribus agendi ſunt*, vt habet in Lycurgo Plutarchus. Aptiora ſunt ad omnem virtutem dura corpora, quàm mollia. Hodie puerorum corpora, & mores nimiâ indulgentiâ mollitieque perduntur. Lubet in hanc arenam excurrere longius.

Additamentum.

LAbore componitur corpus ad virtutem, non mollitie. Iuuenius Spartana ſecundùm Lycurgi inſtituta laboribus, venatu, curſu, eſuriendo, ſitiendo, algendo, æſtuando exerceri ſolebat, vt ſcribit Plutarchus in Laconicis, & in Lycurgo. Perſarum quæ exercitia fuerint, videre eſt apud Xenophontem lib. 1. de Inſtitutione Cyri. Diogenes, vt eſt apud Laertium, Xemadę filios poſt reliquas diſciplinas docebat equitare, arcus tendere, fundâs torquare, iaculari, &c. Quid inter otiandum, inquit Quintilianus lib. 2. cap. 4. facere melius poſſumus, quàm vel honeſtis exercitijs corpus vegetare, vel ingenioſis ludis animum acuere, & mores detegere? in pugna nauali ad Salaminē pauci Græcorum perierunt, cùm fractis nauibus facilè enatare poſſent, quod pueri didicerant. Hinc apud Romanos tot illa in campo Martio iuuenum & puerorum exercitia, pati puluerem & ſolem, equitare, natare in Tyberi, oleo inungi, geſtatione armorum liuida brachia habere, diſcum mittere, & alia de quibus Horatius lib. 1. Od. 8. Et idem lib. 3. Od. 6. Eos iuuenes, qui Pyrrhum, Hannibalem, Antiochum vicerunt, dicit non molliter educatos fuiſſe,

Sed, inquit, ruſticorum maſcula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeueræ
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes. &c.

Pila

Pilæ luſum in iuuenibus multi commendant, quod valetudini conducat, augeat robur, & agilitatem corporis, efficiat concinnitatem corporum, & excrementa ubducat. Huic ludo admodum dediti fuerunt Auguſtus, Mutius Scæuola, Antonius, aliique complures, teſte Valerio lib. 8. & Suetonio in Auguſto.

CAPVT XIV.

An igitur indulgenter & delicatè nutriri nequaquam pueri debeant?

nullo modo

Auctoritates.

NEquaquam ſanè. Dicam hic cum Fabio lib. 1. c. 2. *Vtinam liberorum noſtrorum mores non ipſi proderemus!* Plato de Leg rem hanc omnem definiuit. *Delicata educatio maxima pernicies eſt.* Indulgentia quippè neruos & mentis & corporis frangit. Proinde quiſquis es parens. *Ne noceas, dum vis prodeſſe, videto*, vt ait Ouid. 1. Triſt. Qui in delitijs nutriuntur, prudentiâ carent, vnde nec bonum eligere poſſunt, nec malo reſiſtere. Qui voluptatibus deditus eſt, facilè inter tot vitia in fraudem impellitur. Felix eſt, qui delitias nunquam guſtauit. Seneca miſerum illum iudicat, qui nunquam fuit miſer. Credunt nonnulli parentes ſuam indulgentiam certiſſimum eſſe paterni amoris argumentum. Vitrici eiuſmodi potius ſunt, quàm pij parentes. Nam vbi libertas, voluptas, pecunia eſt, ibi vitiorum omnium eſt ſedes. *Exempla gentium.* Perſæ liberos ſuos non prius aſpiciebant, Valerio teſte, quàm ſeptimum impleſſent annum. Brutij ab initio pubertatis liberos ſuos in ſyluis atque inter paſtores agere volebant, ſine miniſterio, cui inſeruirent, ſine veſte, quam induerent, aut cui incubarent, vt laboribus & parſimoniæ iam ab annis primis aſſueſcerent. Cibus illis præda venatione capta, potus lac, vel aqua. Atque hæc ex Spartanorum diſciplina. Apud hos enim Lycurgi lex iubebat, vt ad annum vſque vigeſimum quintum, ſeu donec viri facti eſſent, in agris educarentur. Nimirum vt adoleſcentum corpora prius laboribus ferendis, quam oculis ſpectandis voluptatibus aſſuefierent. Ideò etiam nihil illis ſomni gratia ſubſternebatur. Apud Inſularum Balearium incolas olim, vt Flori verbis vtar, *Cibum puer à matre non accipiebat, niſi quem ipſa monſtrante percuſſiſſet.* Non enim ſuis manibus filio panem mater tradebat, ſed ſupra tectum aut rupem aliquam collocabat, vt illum ex funda deſtinato lapide inde filius deijceret. Quid de Veteribus Britannis dicemus? Apud hos infantum corpora, vt ad labores ferendos durarentur, matres ad flumina glacie concreta deferebant, & ſaxo comminutâ glacie perfricabant. Eodem modo Gothi recens natos ad flumen primum aſportabant, & gelu durabant, & vndis, vt author eſt Olaus Magnus. Ligurum laudata ſemper in armis fortitudo fuit. Quamobrem? quod aut in militia educati, aut in montibus paſtores fuiſſent. Dura illa quidem Maſſagetarum conſuetudo; quâ infantes pane ex glandibus confecto, & camelorum lacte nutriebant, ſed non improbanda eorum cauſa, vt ſolidiore corpore eſſent, & cruribus ad currendum leuioribus. Vna erat populorum iſtorum diſciplina, laboribus pueros aſſueſacere, non delicatè fouere. Quid, quod *antiqui*, vt author eſt Vegetius lib. 1. *in exercitijs duplo pondere vſi, vt cùm vera & leuiora arma ſumpſiſſent, alacriores pugnarent?* Nulla mollitiei hic veſtigia. Conſule Paulum Diaconum de Campanis. Hi filijs ante matrimonium nec lectum dabant, nec in epulis accubitum concedebant: humi dormiebant, & ſtantes comedebant. Apud Perſas, ſi Curtio credimus lib. 4. *nefas filio fuit in conſpectu matris conſidere, niſi cùm illa permiſit.* Marcus Imperator, teſte I. Capitolino, ad proconſulem ſcripſit, ne quis filiæ ſuæ iter facienti occurreret. Adeò nihil illi veteres liberis ſuis indulgebant. De filiorum ſuorum ſanitate nimis ſolliciti ſunt noſtri homines, & quaſi à delitijs, &

mollitie ſanitas eſſet, non potiùs à labore. Saniores profectò ſunt ruſticorum filij, quàm Heroum, & tamen quis illorum panis? quis lectus? imò quæ miſeria? Si quiſpiam vnquam, tum Caligula Imperator tam ſumptuosè delicatéque à teneris eſt educatus, vt pene plus in delitias filij parens Cæſar Germanicus expenderet, quàm in exercitum. Quid deinde? Vere dictum à Platone 6. de Legibus. *Educatio delicata & luxurioſa ingenia deprauat.* Factus eſt generis humani opprobrium, nec fuit flagitij genus, quod non patrarit, qui inceſtâ libidine etiam proprias ſorores corrupit. Ita qui molliter educantur, aut corporibus infirmi ſunt, aut parentibus inobedientes, aut inſigniter flagitioſi. Videant parentes ne quia in delitias filiorum pecunias profuderunt, ijs deplorandis lachrymas effundant. Inſania eſt tam pretioſè eos perdere, quos tanto in pretio habent. Non indulgentia egregios filios efficit, ſed diſciplina. Sed calamum tollo; facilius eſt conqueri, quàm emendare: æui noſtri mores ferrum non patiuntur.

Additamentum.

NEgamus, & authoritatibus exemplíſque probamus. Quintilianus Declam. 9. Non mirum, inquit, ſi delicatus adoleſcens præſertim ſplendidis opibus vel ex ætate, vel ex fortuna mores trahit. Apuleius de Philoſophia, Doctores puerorum, ait, curent, vt regere & regi diſcant magiſtrâ iuſtitiâ. Per licentiam inſoleſcit animus humanus, ait Saluſtius in Catilinam. Hippocrates, motio confirmat, ignauia labefacit. Ambroſius in Pſalm. 118. Non molles delicijs, ſed labore exercitatos ornat victoria. Seneca lib. 6. de Benef. Teneram liberorum infantiam paceatum, ſi pedes exercuiſſet, quàm cal- Rep. Lacedæm. cenſebat celerius diſcalrentes ad ſalubrium rerum tolerantiam cogant. Et idem, languent per inertiam ſaginata. Licurgus, teſte Xenophonte in ceatum carere. Plato 6. de Legib. Educatio delicata & luxurioſa ingenia deprauat. Iuſtinus lib. 23. Lucani, ait, ab initio pubertatis in ſyluis habebantur, vt à primis annis duritiæ parſimoniæque ſine vllo vſu vrbis aſſueſcerent; ſic ad labores bellicos indurabantur. Quintil. lib. 1. cap. 3. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Sidonius lib. 5. Epiſtola 16. Seueritate tenerum non informatur, ſed formatur ingenium. Apuleus lib. 2. de Aſino Debent parentes immaturis liberorum deſiderijs modificari. Quintilianus iterum lib. 1. cap. 10. Patientior eſt laboris natura pueris, quàm iuuenibus. Caſſiodorus lib. 3. Virtutis genus eſt, coercere infantiam criminis, ne iuueneſcat augmentis.

CAPVT XV.

De formando puerorum per artes & ſcientias ingenio.

VEri ij demum ſunt parentes, qui filios ad viuendum bonis artibus inſtruũt. Sanctiſſima ſemper iudicata Solonis lex eſt, quâ ſanciebatur, vt filius neceſſaria vitæ ſubſidia Patri non deberet, à quo nullam artem accepiſſet. Amplius verò Dio eos maiorum ſuorum ſepulchris prohibẽdos eſſe refert, qui nec doctrinam didicerint, nec artem aliquam exercuerint. Igitur hæc non poſtrema parentum ſit cura, vt puerorum ingenia per artes formentur. Ex verò cùm liberales ſint, vel liberalibus proximæ, aut mechanicæ, habitâ ingeniorum ratione duci ad has vel illas debent. Ad illas quidem, qui ingenij ſunt felicioris; ad has, qui hebetioris. Ad vtraſque ſolertia quædam & induſtria neceſſaria eſt. Nullus interim ſine arte aut diſciplina creſcat puer, ne ignauus in Republica ſit fucus, & tanquam pro communi melle laborare nolens, exterminandus. De modo inſtitutionis Academicæ, quo ad liberales diſciplinas ſcientiaſque maiores duci Iuuentus debet, in Politicis pertractaui, nihil hic proinde. Illud verò optandum, vt legere ſaltem ij etiam diſcant, qui ſcientiarum ſtudijs operam daturi non ſunt. Vix vllum tam infelix ingenium eſt, quod litterarum notas diſcere non poſſit: & materna diligentia inſtituere etiam ludendo poteſt. Vſæ nonnullæ mulieres hâc ſolertiâ ſunt, vt obſeruat Franciſcus Patricius lib. 4. de Inſtit.

Formetur liberalibus artibus ingenioſi, alij alijs.

Diſcant omnes legere.

Inſtit. Reipub. *Teſſerulas litterarum notis pingebant vel plumbea numiſmata elementis imprimebant, puerisque ſuis oſtendebant. Illi (vt moris eſt) talia matrem efflagitabant, hæc autem litterarum nomina notamque docebat, edicebatque vt ſibi numiſmata illa vellent, inter multa quærerent, & quæ dotuiſſet inuenirent, nomina notaſque redderent; quâ auiditate pueri commoti facilè etiam in tenera ætate litteras ediſcebant.*

Optandum illud quoque, vt pueri in tenera illa ætate religionis noſtræ rudimenta, & neceſſaria ſcitu myſteria perdiſcant, etſi nondum intelligant. Turpe eſt ſæpè viros id ignorare, quod ſcire pueri debuiſſent. Et prima hæc rerum ſacrarum diſciplina retinendæ poſtea religionis eſt cauſa. Id verò ſenſim agendum: nam inſtar vaſculorum oris anguſti ſunt pueri; ſi copiam infundas, reſpuunt; ſi inſtilles, ad ſummum vſque complentur. Habent pueri ſemina quædam virtutum in ſe,& earum ſimulachris etiam ſine doctrina mouentur. Curioſi ſunt, quæ domi ſiunt animaduertunt, multa interrogant, eorum, cum quibus verſantur, ignorare nomina non volunt. Cum paribus aliquando decertant, & victores exultant, victi erubeſcunt. Ad hæc prima elementa ſi doctrina & exercitatio accedat, paruo tempore virtutis quædam perfectio exiſtit. Ea ſit parentum cura, vt habito ingeniorum delectu artibus neceſſarijs liberos ſuos inſtruant. *Diſcant rudimenta fidei.* *Omnia ſenſim.*

Additamentum.

Hic illud valet, Feſtinandum, ſed lentè. Feſtinandum, vt ait Gellius lib.10. Et ſat cito, ſi ſat bene, vt Cato dicebat. Procedendum igitur ſenſim cum pueris, ne rerum diſcendarum copia obruantur,& ſuprà vires onerentur.Si enim, vt Plutarchus ait, pueris plus imponitur oneris, quàm ferre queant, laſſitudinem contrahunt, & odium eorum, quæ diſcunt animis deficientes. Quintilianus lib. 1.cap.3. Vt vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus vel inſtillantibus complentur, ſic animi puerorum, quantum excipere poſſint videndum. Et hic vel maximè locum habet illud Heſiodi:

Adde parum paruo, paruo ſuperadde puſillum,
Sæpius hoc faciens magnum cumulabis aceruum.

Quippè ita viuendum, vt diu viuere; ita diſcendum, vt diu diſcere;ita laborandũ, vt diu laborare poſſimus. Exercenda autẽ maximè in pueris eſt memoria, quæ eſt quaſi penu omnis eruditionis& doctrinæ. Nec malè inquo dici ſolet,Tantùm quiſque ſcit, quantùm memoria tenet. Valet hæc non tantùm ad eruditionem comparandam, ſed etiam ad vitæ actiones; cum præteritarum recordatio actionum ſit exemplar ei, qui de futuris cogitaturus eſt.

CAPVT XVI.

An cognoſci puerorum ingenia & inclinationes debeant, priuſquam ad artem aliquam applicentur?

Id expedire multi putant, quod in omnibus artibus ingeniorum habendus ſit delectus. Ariſtoteles ingeniorum tria genera facit, vnum eſt inertium & ſtupidorum, quibus ad res gerendas nihil eſt ineptius. Aliud eſt velocium & calidorum, quæ plerumque in ſtultitiam & furorem degenerant. Tertium eſt ſedatorum & manſuetorum, quæ ad omnem humanitatis rationem optima ſunt. Ego illud ingenium probo, quod candidum, ſimplex, ſolers, conſtans, magnum, exaggeratum, feſtinè lentum. Tale eſt ſupra auaritiam, ſordes, voluptatem; dignum Reip. aliquando ſubſellijs. Parentes proinde cùm eiuſmodi ingenium in pueris animaduertunt, ſubigant illud, expurgent, molliant, excolant. Non illa placent, quæ pigra & abdomini dedita; non placent, quæ deſultoriâ leuitate huc illuc volitant & in nugis quiſquilijſque triumphant: non placent ſordida & callida nimium velut vulpecularum, lucri enim, pecuniæ, & malitiæ tantùm vias conſectantur. *Diuiſio ingeniorum.*

ctantur. Ad præclara ingenia accedat inſtitutio oportet, quæ à pietate prima iaceat fundamenta, & per magnarum virtutum gradus ad Deum contendat. Æthiopes olim fortitudinis indolem in pueris hoc modo explorabant. Habebant ingentes quaſdam aues domi cicuratas, iiſque tenella puerorum corpora imponebant. Eæ autem ſeſſores in ſublime efferebant, ac leui deinde motu deuolantes reportabant. Si volatum illum intrepidè pueri ſuſtinerent, eximiæ indolis indicium erat. Quintilianus primum in pueris ingenij ſignum eſſe memoriam ait, cùm nimirum facilè diſcunt, & diu reminiſcuntur. Quare optimum eſt ad erudiendas ingenij vires memoriam exercere, propoſitis etiam præmijs, & quadam ambitione excitatâ. Critias in Timeo ita ad Socratem refert, *Solemne familiæ ſuæ extitiſſe feſtis quibuſdam diebus, vt pueri propoſitis præmijs à parentibus ad memoriæ certamen inuitarentur, in quo plurimos Poëtarum verſus memoriter recitabant.* Hâc conſuetudine ingenium acuitur, alacriores promptioreſque animi redduntur. Spartani ludentes pueros ſpectabant, & certamina inter eos ſerebant, vt quæ cuiuſque eſſet indoles ſpectarent. Eſt etiam ingenuæ indolis ſignum monitoribus facilè acquieſcere, laude excitari, obiurgatis alijs commoueri. Optimum verò pudoris ſignum eſt rubor, qui à verecundia eſt, non à timore. Apud veteres olim nonnullos erat hic mos receptus, vt parentes pueros ſecum per vrbis vicos circumducerent, iuxta officinas & tabernas cùm mercatorum, tum opificum ſubinde ſubſiſterent. Hic ſi puer haſtam aliquam aut gladium admiraretur, contingereque optaret, geſtientis animi lætitiam motumque notabant, & ad arma natum eſſe iudicabant. Si aliud alterius opificij vel artis inſtrumentum aut opus defixis oculis intueretur, ac circa illud varia inquireret, ad artem eiuſmodi naturâ factum credebant. Propertius:

Hic ſatis ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis armis,
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Fateor aliqua eſt hic, ſed incerta ſanè coniectura. Operæ pretium eſt, ita puerorum ingenia certâ & bonâ diſciplinâ formare, vt idonei ad quiduis eſſe poſſint, ac tandem fiant.

Additamentum.

VEriſſimum equidem eſt illud Horatij lib. 1. Epiſtola 1.

Nemo adeo ferus eſt, vt non manſueſcere poſſit,
Dummodo culturæ patientem accommodet aurem.

Sed tamen etiam ſicut, vt ait Poeta, *Non omnis fert omnia tellus*, ita nec cuiuis arti aptum eſt quoduis ingenium. Neque hoc tempore peccatur amplius in ſcholis, quàm quod ingeniorum delectus non habeatur. Laborant ſæpè in liberalibus diſciplinis, quos natura ad illiberales formauit & hærent in ſcholis, qui exerceri in opificum tabernis deberent. Sæpè eſſet excellens pictor, qui nunquam erit vel mediocris Orator. Itaque parentes non prius pueros ad artem aliquam applicabunt, quàm eorum ingenia cognorint. Modum cognoſcendi hic ſuggerimus.

CAPVT XVII.

Quæſtiunculæ aliquot.

Dè Caſtigatione puerorum.

AN *ſeuerâ caſtigatione vti erga pueros oporteat?* Salomon Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum.* Et Eccleſ. 30. *Qui diligit filium ſuum aſſiduat illi flagella. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt. Ne fortè induret & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Cicero autem ad Herennium 4. *Sapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare.* Hac de re cùm in Politicis noſtris diſſeruerim hoc tantùm dico, naturæ rationem in filijs

filijs obſeruandam inprimis eſſe, at tum adhibendam ſummo iudicio animaduerſionem. Sunt qui laude potiſſimùm excitantur, vt Themiſtocles, cui Milciadis trophæa ſomnum eripiebant. Sunt qui ratione ſolâ permouentur, vt Polemon Athenienſis, cuius impudiciſſimam vitam Xenocratis de pudicitia oratio correxit. Sunt qui verberibus indignantur, ſed iiſdem obdurantur. Sunt denique qui parentum obiurgationes parui ducunt, imò irrident, verbera tamen vehementer reformidant. Laudentur pueri, cùm rectè quippiam agunt; obiurgentur, cùm perperam; caſtigentur cùm dicto auſcultare nolunt, aut ſunt rebelles. Sit tamen modus & neceſſitas. Nam rectè Terentius:

Pudore & liberalitate liberos retinere,
Satius eſſe credo, quam metu.
Hoc patrium eſt potius conſuefacere filium
Suâ ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc Pater ac Dominus intereſt; hoc qui nequit
Fateatur ſe neſcire imperare liberis.

Pueri cùm ſolo metu ducuntur, nihil ex animo faciunt; tantiſper cauent, dum id reſcitum iri credunt; cùm fore clam ſperant, ad ingenium redeunt. Libera & liberalis eſſe puerorum inſtitutio debet, vt ratione conſtet & admonitione. Illa ad honorem ducit, & eſt velut calcar ad bonum; hæc pudorem ingenerat, & eſt velut frænum à malo retrahens. Contineri diſciplinâ pueri debent, ſed non ſæuitiâ.

II. *An ponere ſpem de emendatione filiorum aliquando parentes debeant?* Profutura proijcere nunquam oportet, ac proinde nunquam ſpem ponere. Si in prima pueritia conatui euentus nequaquam reſpondeat, de iuventute deſperandum non eſt. Fœdus fuit Themiſtocles adoleſcens, ſed Græcorum poſteà omnium clariſſimus. Turpis in adoleſcentia Sylla fuit, ſed vir adultâ ætate fortiſſimus. De quibus nemo quicquam ſperabat, ſpes aliquando Rerump. extiterunt; & qui vitiorum primò monſtra, poſteà virtutum fuerunt ſimulacra. Teſtis eſt M. Torquatus, quem deſperans de moribus pater in agrum ablegauerat, at Latino bello delaſſatam patriam triumphator recreauit. Teſtis L. Valerius Flaccus, qui cùm anteà libidinum Dux fuiſſet, poſteà ſanctitatis exemplar extitit. A deſperatione ſæpè ſpes eſt, imò nonnunquam ſalus. *De emendatione.*

III. *An ludus aleæ pueris ſit concedendus?* M. Tullius pro Cœlio. *Datur conceſſu omnium aliquis ludus adoleſcentiæ.* Ab alea tamen, taxillis, chartis pueros ſuos arceant parentes. *Ludi quoque ſemina præbent nequitiæ* inquit Ovidius. Quam multi diem abaco & latrunculis conterunt? Mendaciorum & periuriorum mater eſt alea; & aleator, quanto melior, tanto nequior. Ammianus lib. 28. *Inter aleatores & teſſerarios tantùm*, inquit, *differt, quantum inter fures & latrones.* Vincentius autem Serm. de S. Matthia, manum diaboli ludum taxillorum appellat. His igitur atque eiuſmodi ludis, qui dediti ſunt, furtis & mendacijs aſſueſcunt. Præterquam quod ludendi libido morbus ſit, qui in pueritia contractus, ſanari in ſenectute non poteſt. Aciculam pueri luſuri quâdam audaciâ deponunt, ſed viri facti clamydem, enſem, & quiduis maius. *De ludo.*

IV. *Quid præter hactenus dicta permittere, aut prohibere parentes debeant?* Leuia corporis exercitia permittant, & rerum firmiore ætate præſtandarum ſimulachra proponant. Ante ſextum ætatis annum nec ad ſcholas publicas ducant, vt præcipit Ariſtoteles, nec laboribus ſerijs exerceant. Aliter enim corporis incrementum impeditur. Vtilibus quibuſdam & honeſtis fabulis puerorum animos oblectare fas eſt. Nec interdicendus puerorum ille clamor, modo nullum ſit moleſtiæ damnum. Ita quippè corporis vi- *De varijs quæ permitti aut prohiberi poſſunt.*

ris vires augentur, & nerui diſtenduntur. Picturæ, quæ ad turpitudinem excitare poſſunt, procul amoueantur; laſciuorum lectio Scriptorum prohibeatur, ad ſpectacula Comicorum impudicorum ne admittantur. Hæ quædam ſunt formandæ Iuventutis regulæ.

Additamentum.

QVæritur primò de puerorum caſtigatione. Sunt qui omnem prohibent ſenum animaduerſionem, quod deformis & ſeruilis ſit; Prouerbium eſt *Phryx plagis emendatur*. Cui mens illiberalis eſt, etiam ad plagas durabitur. Frangunt animos plagæ & ſtupidos efficiunt. Gothi ægerrime ferebant Atalaricum adhuc puerum à Matre Amalaſuuta ad ludum litterarium ablegari & verberibus cædi, quod non deceret eum, qui res maximas aliquando fortiter & audacter aggredi deberet, præceptoris formidine terreri, nec illum poſſe gladios contemnere, qui ferulas horruerit. Hac de re vide Quintilianum lib. 1. Inſt. Oratoriarum c. 4. Philoſophus lib. 1. de Educatione liberorum cap. 10. Plagæ corpori, inquit, non parum officiunt; eius enim incrementum impediunt, valetudinem affligunt, & ei tabem quandam inferunt. Et ſi parvuli verberibus cogendi, inquit Fabius, loco vt ſuprà, quid iuveni facies, cui nec adhiberi poteſt hic metus, & maiora diſcenda ſunt? Dici de inſtructionibus puerorum poteſt, quod de villicis ait Columella lib. 2. cap. 1. Villici, inquit, eſt cauere potius ne peccet operarius, quàm cùm peccarit punire. Et Cato teſte Plutarcho, ferre ſe poſſe negabat, à ſervulo filij aures velli.

Sed tamen Sapiens Prouerb. 13. Qui parcit virgæ odit filium ſuum. Et cap. 23. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris virga eum, non morietur. Et cap. 29. Virga atque correctio tribuunt ſapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ confundit matrem ſuam. Lycurgus Pædonomis hoc ius conceſſit, vt in pueros immorigeros, ſi opus, flagra diſtringerent, teſte Plutarcho in Lycurgo. Cyrus apud Xenophontem lib. 1. narrat ſe virgis à præceptore mulctatum, quod minus rectè iudicaſſet. Romanorum liberi, ſi litteris darent operam & fortè delinquerent, prætextan anguillarum tergore, ſed pueri ferula; à parentibus verò lenioribus flagris, aut puerili verbere plectebantur. Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 25. Ipſa neceſſitas hanc ſeueritatem efflagitare videtur, cùm multi ſint tam peruicaces, vt non niſi plagis meliores reddi poſſint.

Porrò duæ iſtæ ſententiæ, quæ pugnare inter ſe videntur, ambæ locum habere poſſunt, ſi qui teneræ ætatis ſunt rectores ingenia diſcernant. Nam ſunt, qui calcaribus indigent, ſunt qui frænis; ſunt qui amore ducuntur, ſunt qui timore; cohortationes, laudes, præmia, æmulationes multorum induſtriam excitant. Multum poteſt præceptorum diſcretio, multum nocet nimia indulgentia.

Quæritur præterea de Alea & ludis alijs. Certe nequaquam probantur alea, teſſeræ, calculi, quibus Caligula & Nero, teſte Suetonio, plurimum & temporis & pecuniæ impendebant. Neque placet ludus carthularum iam tamen pervulgatiſſimus. Omnes hi ludi auaritiæ malum animis ludentium ſenſim inſtillant, & impoſturis, rixis, turbis, cædibus occaſionem non rarò præbent. Plato adoleſcentem grauiter increpuit, quod aleâ luſiſſet, qui cùm diceret, Siccine obiurgas ob rem paruam? At, inquit Plato, non eſt parvum aſſueſcere. Laertius lib. 3. Horatius lib. 1. Epiſtola penultima.

Ludus enim genuit ſtrepitum, certamen & iram,
Ita truces inimicitias & funebre bellum.

Ouidius lib. 1. de Arte.

Et ſi perdiderit, non ceſſat perdere luſor,
Et reuocat cupidas alea ſæpè manus.

Germani Veteres aleam inter ſeria exercebant, tantâ lucrandi perdendíve temeritate, vt cùm omnia deficerent, extremo iactu de libertate & corpore contenderent. Victus voluntariam ſeruitutem adibat, & alligari ſe patiebatur, teſte Tacito de Moribus Germanorum. Quod ſi tamen in his ludis ſola animi relaxatio quæratur, & de minutis pignoribus certetur, non eſt quod tantopere prohibeantur.

CAPVT XVIII.

De Cura coniugij Liberorum.

Debent parentes ſolliciti eſſe de coniugio liberorum.

PArentum eſt liberis ſuis de vxoribus proſpicere, interea verò ab omni ſcortatione libidineque eos arcere. Tempus à Philoſopho definitum eſt, quo nimirum per ætatem ad liberos procreandos ſunt idonei. Qui

Qui ad nuptias intempeſtiuè prouolant, aut nullos, aut infirmos gignunt; apud eos valere auctoritate non poſſunt, eneruantur iuvenes viri, in partu delicatulæ coniuges non rarò moriuntur. Curioſè quiſquis voles procreandi tempus inquire. Plato viris à trigeſimo ad quinquageſimum quintum, fœminis à vigeſimo vſque ad quadrageſimum concedit. Tollo hic calamum. Quæ autem ducenda ſit, iam dictum eſt à nobis. Paucis Sapiens Prouerb. 31. *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo; mulier timens Dominum ipſa laudabitur.* Quæ nimis ſunt elegantes, non ſatis ſunt verecundæ; vbi nimia morum teneritudo eſt, ibi libidinis prouocatio eſt; quæ nimis ſunt elegantes, ignita verba iaculantur.

Additamentum.

HVc referenda ſunt, quæ de vxore ducenda iam ante diximus, & de ætate nubentium. Quidam Hæretici in liberorum coniugio parentum conſenſum adeſſe volunt neceſſario; Catholici non ex neceſſitate coniugij illum requirunt, quaſi ſine eo nullum futurum ſit matrimonium, ſed ex honeſtate tantùm, potiſſimùm quando iuſta in liberis ſit ætas.

CAPVT XIX.

De filiorum erga parentes officio.

OFficium hoc totum paucis legibus complector. Sit *Honorare*
I. *Reuereantur filij parentes interno affectu, externo cultu.* Præceptum eſt ſecundæ tabulæ Diuinum. *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* *parentes.* Salomon audito matris Berſabeæ aduentu, aſſurrexit, obuiam proceſſit, honorem exhibuit, in ſolio ſuo à dextris collocauit, vt refert Scriptura Sacra lib. 1. Regum. Adeò ſecundum Deum proximus parentibus honor debetur, Nec apud Spartanos ſenioribus iuuenes aſſurgebant, niſi vt eo magis parentes colere aſſueſierent. Salomon Eccleſ. 3 *Gloria hominis eſt honor patris ſui; & dedecus filij pater ſine honore.* Cauſam dat Eccl. 7. *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes.*

II. *Ament filij parentes.* M. Tullius oratione poſt reditum ad Senatum, *Amare pa-* *Parentes*, inquit, *chariſſimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas eſt tradita.* *rentes.* Amorem hunc natura ſicut cum vita ingenerauit, ita totâ vitâ accendit. Ideò nihil ſibi in vita felicius obtigiſſe Epaminondas dicebat, quàm quod viuis adhuc parentibus de Lacedæmonijs ad Leuctra triumpharet. Prima amoris huius magiſtra eſt natura, quæ parentum charitatem liberorum pectoribus infundit tantâ vi, vt cùm mutus Crœſi Filius eſſet, & in patris cædem concitatum militem videret, ſubitò proclamando vocalis ſit factus.

III. *Obediant filij parentibus.* Ita præcipit Apoſtolus ad Coll. 3. *Filij obe-* *Obedire* *dite parentibus veſtris in domino, hoc enim iuſtum eſt.* Et Salomon in Pro- *parentibus* uerbijs. *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas diſciplinam matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo.* Cape exemplum à Chriſto: an non Mariæ & Ioſepho obediuit? *Et erat ſubditus illis,* inquit Scriptura. Iſaacus vt patri Abrahamo obediret, cùm pro hoſtia mactandus ante aram ſtaret, ceruicem obſequentiſſimus præbuit. Iure dubitemus paternane pietas magis Deo placuerit, an filij obſequiū. Rectè ille apud Plautum proclamat.

Faciendum eſt nobis, quod parentes imperant.

Nec aliam ob cauſam apud Spartanos lege cautum erat, vt quoſuis, etiam peregrinos, inſtituere hæredes parentibus liceret, quam vt liberos ad obſequium hoc modo pellicerent, vt in Lycurgo notat Plutarchus. Cùm Caius Flaminius de agro Gallico viritim diuidendo legem inuito Senatu ferre vel-

re vellet, nec precibus, minis, exercitu aduerſus ſe conſcripto abſterreretur, poſtquam pro roſtris pater illi manum iniecit, patris imperio fractus è roſtris deſcendit. Ita Valerius Max. lib. 5. Cicero lib. 2. de Inuent. Placuit Hæc obedientia populo, qui ne minimo quidem murmure Flaminium reprehendit. Dicat filiorum quiſque cum Polynic. *Quodcunque mater iuſſeris gratum eſt mihi.* Cautio hæc tamen ſit, ſi legitima parentes imperent. Quippè *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Act. 5. Amandus eſt generator, ſed præponendus creator, vt ait Auguſtinus. *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Preceptū eſt Seruatoris noſtri.

Auxilium parentibus ferre.

IV. *Iuuent filij parentes, nutriant ſenes, ſubleuent afflictos.* Vna ratio eſt, quam D. Ambroſius in 18. Lucæ caput adfert, *illi debes quod habes, cui debes, quod es.* Paulò pòſt de hac re iterum.

Non offendere parentes.

V. *Non offendant filij parentes.* Idem Ambroſius. *Primus gradus pietatis eſt iſte, vt quos auctores vitæ tibi voluit eſſe Deus, honores obſequijs, abſtineas contumelijs.* Vultu ſæpè læditur pietas, vt aiunt Sapientes. Itaq; nec vultu lædenda eſt parentum pietas, Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem ſuam, morte mulctandus eſt, vt Exodi 21. præcipitur. Caueant filij ne dicto, ne geſtu, ne facto, imò ne cogitatione parentes lædant. De parricidio nihil attingo, in quo nulla ſatis iuſta cauſa poteſt pretexi. Lex Diuina Deut. 29. à populo lapidibus proſternendos eos eſſe vult, qui parentibus obſtrepuerint. Rectè Liuius lib. 1. Inter patrem & filium paucis tranſigi verbis poteſt; ni pareat habiturum infortunium.

Agere omnia ex cōſilio parentum & defectus libenter pati.

VI. Denique nihil agant aut aggrediantur filij, niſi ex parentum conſilio, in contrahendis potiſſimùm matrimonijs: eorum vitia, defectus, iram, ſeueritatem patienter & æquo animo ferant. Illuſtre pietatis in hoc genere exemplum eſt Manlij. Pomponius Tribunus plebis L. Manlio Imperioſo diem ad populum dixerat, quod filium optimæ indolis iuvenem ruſtico opere grauatum publicis vſibus ſubtraheret. Id vbi Manlius filius cognouit primâ luce ad Pomponium venit, & remotis arbitris diſtricto gladio iurare eum coegit, ſe à patris accuſatione receſſurum, periculo patris ſubuenit, à quo nullo indulgentiæ blandimento inuitabatur. Ita refert Valerius Maximus lib. 4.

Additamentum.

CLytemneſtra apud Furipidem in Elect. O fili natura hoc tibi inſeuit, patrem tuum ut piè ames perpetuò. Plato lib. 2. de legibus ait quoſdam Deos à nobis videri, quoſdam non quidem cerni poſſe, ſed eorum tamen imagines & ſimulachra ſculpti, in quibus colantur. Cui verò pater aut mater, aut horum parentes ſenio confecti veluti theſaurus quiſpiam domi ſint, eum exiſtimare debere, nullam ſe Deorum imaginem habere, quàm parentes, expreſſiorem, dummodo rectè colantur. Demetrius Phalereus apud Laertium lib. 1. cap. 3. adoleſcentes hortatur, vt in ſolitudine ſeipſos, in via obuios, ſed domi parentes reuereantur. Cicero poſt reditum in Senatum, Parentes chariſſimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt. Quomodo autem colendi ſint parentes docet Eccleſiaſticus c. 3. Qui timet dominum honorat parentes, qui ſe genuerunt, ſermone, opere, patientia. Itaque de ijs honorificè ſentiendum eſt & loquendum. Vnde perictione apud Stob. mali quicquam parentibus neq; dicto neque facto exhibere oportet, ſed obedire cuiuſcunq; conditionis fuerint. Et Plato lib. 4. de legibus. In verbis etiam per totam vitam parentes venerari maximè decet, lenium enim volatiliumq; verborum maxima imminet pœna. Nam omnibus propoſita eſt Nemeſis, iudicij angelus, huiuſmodi omnium conſideratrix. Scriptura Sacta Leuit. 20. & Deuteronomij 27. maledictionem denuntiat ijs, qui parentibus maledicunt. Porrò obedientia, quæ parentibus debetur, in honeſtis & licitis eſt. Vnde Ariſtoteles lib. 4. Eth. cap. 12. Filium, ait, non teneri patri febricitanti contra conſilium Medici vinum præbere. Vide Gellium lib. 2. cap. 7. Filius etiam in publico officio conſtitutus non tenetur publicè patri cedere, tum enim Reipub. perſo-

perſonam, non filij agit. Sic Fabius Gurges Conſul cùm obuium habuiſſet patrem, per lictorem iuſſit, vt ipſe ex equo deſcenderet, & pedes ad Conſulem veniret, quam filij grauitatem pater vehementer laudauit, vt habet Plutarchus in Fabio Maximo.

CAPVT XX.

An liberi teneantur parentibus in ſenectute, vel in neceſſitate alimentum & opem præſtare.

REpeto hic Diui Ambroſij vocem, *illi debes quod habes, cui debes, quod es.* Igitur ad victum & omnem opem, obligantur liberi. Vnde M. Tullius de Reſponſis Aruſpicum, parentibus, ait, nos primum naturam conciliauiſſe, quos non alere nefarium eſt. Nihil non amori parentum debetur, qui liberos genuit, aluit, is proſpexit. Pro vita, pro tot curis ac ſollicitudinibus, pro educatione tot moleſtijs plena, quis alimentum vel opem aliquam non rependat? Vide quiſquis voles in animantibus brutis naturæ legem. Ciconiæ genetricum ſenectam inuicem educant teſte Plinio lib. 10. Vbi plumæ illis deciderunt, ſuis eas tegunt; cùm volare non poſſunt, iunctis alis eas efferunt. Ab amore hæc ars eſt. Videri parricidæ poſſunt, qui parentum vitæ cùm poſſint ſubſidium non ferunt. Dabo vnum ex ſacris exemplum. Ioſephus ille patriarchæ Iacob filius, cùm inopiâ parens laboraret, annonam præſtitit. Cùm cœcus parens eſſet, Tobias medicinam parauit. Antigonus ſeipſum pro patris vita vendidit. Cleobis & Biton ad ſacra Iunonis peragenda iugo ſuppoſiti matrem vexerunt. Amphinomus & Ænapus patrem & matrem per medios Ætnæ ignes ſuis humeris portauerunt. Illuſtriora produco, quæ nunquam vllus ſatis obſtupeſcet. Cymon Miltiadis filius, cum in carcere pater obijſſet, voluntarijs vinculis eius ſepulturam redemit. Humilis illa & è plebe filia, de qua Valerius Max. lib. 5. cum puerpera eſſet, & eodem tempore ſupplicij cauſa carcere incluſa mater teneretur, cum impetraſſet aditum à cuſtode, ſemper, ne quid inferret cibi, excuſſa, deprehenſa eſt vberibus ſuis matrem alere. Quo miraculo permotus Prætor pœnæ remiſſionem mulieri donauit. *Quid tam inuſitatum, quid tam inauditum,* inquit Valerius, *quam matrem nata vberibus alitam? Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, niſi diligere parentes prima naturæ lex eſſet.* Idem de pietate Perus admirandum proponit, quæ patrem ſuum Cimona, vltimæ ſenectutis virum & cuſtodiæ traditum pectori ſuo velut infantem admouit & aluit. Concludo cum eodem Valerio, & ad illum lectorem te remitto. *Prima igitur & optima rerum natura pietatis eſt magiſtra, quæ nullo vocis miniſterio, nullo vſu litterarum indigens, proprijs ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infundit.* Huius charitatis expreſſum exemplar Virgilius in Ænæa reliquit, qui ita patrem ſenio confectum, & vel igni alias cremandum, vel ab hoſte trucidandum alloquitur.

Omnino tenentur.

Ratio.

Exempla.

Eia age chare pater ceruici imponere noſtræ,
Ipſe ſubito humeris; nec me labor iſte grauabit:
Quo res cunque cadent, vnum & commune periclum,
Vna ſalus ambobus erit.

Additamentum.

CIcero Orat. de Reſponſis Aruſpicum Parentibus nos primum natura conciliat, quos non alere nefarium eſt. Eccleſ. cap. 3. Fili ſuccurre patri ſeneſcenti. Solon, teſte Laertio in Solone, eos infames eſſe voluit, qui parentes non alerent, exceptis illis, qui negligenter à parentibus educati nihil artis neceſſariæ didiciſſent. Optimè Menander, Sufficienter viues, ſi alueris parentes. Plato lib. 4. de Legibus. Putare quiſque debet omnia, quæ poſſidet, eorum eſſe, qui nos genuerunt & educarunt, ita vt illis hæc omnia, pro viribus miniſtrare debeant; primò quidem externa bona; deinde etiam corporis, poſtremò quæ ad animum pertinent. Denique ſi parentes de vita periclitentur, filij etiam cum vitæ periculo iuuare debent, vt fecerunt duo illi iuvenes Cathanæi, qui parentes ex incendio patriæ per flammas exportarunt. Vide Valerium Maximum lib. 5. cap. 4. Et hic quoque exempla referuntur.

CAPVT XXI.

Quæſtiunculæ circa filiorum officium aliquot.

De ope patri aut filio ferenda.

VTri prius ſubueniendum ſit, patri an filio ſi vtrique ſimul ſubueniri nequeat?* Etſi ita comparatum ſit, vt filium vnuſquiſque plus amet, quam patrem, patri tamen opem ferre potius, quam filio debet Erga vtrumque debitum eſt officium, ſed illud erga patrem naturæ lege prius & antiquius eſt.

Pater filio in magiſtratu cedit.

II. *An cedere patri priuato filius, qui in magiſtratu eſt, debeat?* Patrum iura cum filiorum, qui in magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata, interquieſcere paululum & conniuere debent. Nimirum publicis in locis, muneribus, actionibus. Alias extra Rempublicam ceſſent publici honores, exoriantur genuini & naturales. Cedat proinde patri filius, cum aut domi conuiuium eſt, aut priuato in loco ambulatur. Vide Gellium lib. 2. cap. 2. Fabio Maximo Conſuli cum pater obuiam in equo factus eſſet, nec à Lictoribus, vt equo deſcenderet, iuberetur, ſedere perſeuerauit. Id cum filius Conſul ſenſiſſet, proximo Lictori vt ſibi appareret, imperauit; cuius voci Fabius pater continuo eſt obſecutus. *Non ego*; inquit, *Fili ſummum imperium tuum contempſi, ſed experiri volui, an ſcires conſulem agere. Nec ignoro quid patriæ venerationi debeatur, verum publica inſtituta priuata pietate potiora iudico.* Ita Valerius lib. 2. cap. 2.

Filius plus matrem quam patrē amat.

III. *Vtri maior dilectio patri, an matri debeatur?* Demus hunc calculum, & primitias amoris matri, non inuito ſanè patre. Filio mater nouem menſibus hoſpitium in vtero ſuo præbet, poſtquam in ſuis viſceribus & ex ſe ipſa illum concepit. Quanto illum dolore parit? quanto amore lac illi ex vberibus fundendo nutrit? quanto labore educat? quanta cura, donec adoleuerit, conſeruat? Hæc in filio ardentiorem erga matrem, quam erga patrem, amorem ingenerant.

Parentes plus filios amant quam contra.

IV. *Vter ſit maior, parentum in filios amor, an contra?* Pro parentibus hic pronuntiamus. Eorum enim ab ipſis amor profectus quodam naturæ impetu procedit vlterius, filiorum vero quodammodo retrocedit. Ille purus ac liber eſt amor, hic debitus eſt, & eſt quædam gratitudo. Maior etiam eorum eſt amor, qui beneficium in alios conferunt, quam qui illud accipiunt. Honeſtatem ſolam parentes ſequuntur, vtilitatem filij reſpiciunt. Magno parentibus filij conſtant, ideoque amplius amant.

Additamentum.

QVa ratione filius patri cedere debeat & quando non iam ante diximus. Poteſt etiam ex dictis ſatis colligi vter maior ſit parentum in filios, an filiorum in parentes amor.

CAPVT XXII.

Singularia pietatis in parentes exempla.

MVltæ felicibus auſpicijs propagatæ ſoboles fuerunt, propter quas & genuiſſe iuuit, & generare libuit. Veniant illæ in oculos, & poſteritatem exemplo ſuo doceant. *Coriolani*

Primum locum occupet Coriolanus. Hic inquiſſimæ damnationis ruina proſtratus Volſcorum exercitu Romam patriam cingebat. Miſſi ad illum primo ex Senatorio ordine Legati; miſſi deindè cum infulis & ſacris Pontifices; nihil hi, nihil illi profecerunt. Miſſa tandem Veturia mater cum vxore Volumnia, & liberis; vbi matrem aſpexit, *Expugnaſti*, inquit, *& viciſti mater*. Receſſit.

Eadem pietas Scipionem Africanum prælio ad Ticinum cum Hannibale, vt patrem ſcuto ſuo & manu ſeruaret, impulit. Tantus vir magnitudinis auſpicium à pietate cepit. *Scipionis.*

Cum Demetrius Macedoniæ Rex in Seleuci Syriç Regis manus veniſſet, Antigonus eius filius mutatâ in lugubrem veſtem purpurâ legatos ad Reges alios & ad ipſum Seleucum miſit, Regnum ſuum & ſe obſidem pro patre promiſit. Vbi eum vita functum intellexit, obuiam cum exercitu proceſſit, & patris cadauer multis lachrymis excepit. *Antigoni.*

Artaxerxes Perſarum Rex, cum exploratum haberet chariſſimam vxorē Statyrā Pariſatæ matris veneno extinctā eſſe, ne pietatem læderet, dolorem diſſimulauit, & ne minimo quidem nutu offenſæ voluntatis ſignū oſtendit. *Artaxerxis.*

Alexander Seuerus Imperator, vxorē ſuam à Mamea matre exilio mulctari ſuſtinuit, ne matrem offenderet. *Alexandri Seueri.*

Periander Corinthius tyrannus cum ſine cauſa Melitam coniugem occidiſſet, & Licophron eius filius alloqui proptcrea patrem nollet, domo eum expulit pater; interdixit deinde, ne quis eum exciperet, ope aliquâ iuuaret, alloqueretur. Sententiam ille non mutauit: cumque Regnum tandem à Patre offerretur, negauit ea in Ciuitate regnare ſe poſſe, in qua is moraretur, qui matrem occidiſſet. *Licophron*

Proſcriptus erat à Triumuiris Oppius quidam ciuis Romanus. Filius, cui pax erat domi parta, ſublatum in humeros patrem mendici ſpecie latentē in Siciliam extulit, vbi à Sexto Pompeio proſcripti omnes excipiebantur. Propter hanc pietatem patriæ à populo Romano reſtitutus eſt, & ædilis factus eſt. *Filij Oppij*

Iſaacus Conſtantinopolitanus Imperator cum ab Alexio fratre priuatus regno & oculis eſſet, Alexius eius filius Balduini ope adiutus imperium recuperauit, patremque cœcum liberauit. Et quanquam Imperator ipſe ſalutatus eſſet, patrem reſtituit, & Imperatoriam dignitatem paternæ charitati poſtpoſuit. *Alexij.*

Toleti aurifaber quidam ob falſas ſuſpiciones morti erat adiudicatus à Petro Caſtulonis Rege. Filius, qui illi erat vnicus, lachrymis ſuis id tandem impetrauit, vt viueret pater, ipſe pro patre occideretur. Occiſus eſt, & vitam pro vita accepta reddidit. *Cuiuſdam Toletani.*

Conradus Henrici IV. Imperatoris filius, etſi Regiâ dignitate à patre priuatus, ſentire malè tamen de eo nunquam potuit, multò minùs quicquam aduerſus eum ad aures ſuas admittere. Vide Valerium, Fulgoſium, alios.

Additamentum.

OBſeruari alia paſſim in Hiſt, poſſunt. Euripides in Heraclidis:

Quiſquis in vita ſuâ parentes colit,
Hic & viuus & defunctus Dijs carus eſt.

Plato lib. 1. de Legibus, Qui parentes, inquit, omnibus officiorum generibus proſequuntur, illis à Dijs hoc datur præmium, vt plurimum vitæ benè ſperantes exigere poſſint. Et Thales apud Laertium lib. 1. cap. 1. filios admonebat, vt benefacerent

facerent parentibus. Quale, inquiebat, præmium parentibus rependeris tale viciſſim à liberis expecta. Cicero pro Roſcio Amerino, Portentum, ait, atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie atque figura, qui tantùm immanitate beſtias vicerit, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit, cum etiam feras inter ſe partus & educatio & natura ipſa conciliarit. Heraclides de officijs liberorum, ait, Deos nihil exaudire facilius, quàm imprecationes parentum; quippè quas iuſtiſſimas eſſe putant, cùm liberi parentibus maximum honorem debeant. Periĉtyone apud Stobæum, Contemptus parentum, inquit, peccati genus eiuſmodi eſt, quod in viuis ſimul atque defunctis diuinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & ſub terra in loco impiorum vna cum reliquis improbis perpetuò punitur à Iuſtitia & infernalibus Dijs, qui his rebus inſpiciendis deſtinati ſunt. Ægyptij parricidas articulatim præacutis calamis cæſos ſuper ſpinarum aceruum viuos comburebant. Romani equuleo includebant cum ſimia, Gallo gallinaceo, & ſerpente, ſicque extra naturam extermi nabant. Homerus Iliados lib. 4. ait Simoiſium citius periiſſe, quod parentibus debitum officium non reddiderit. Certè ſi impietas omnium ſcelerum complexio eſt teſte Cicerone pro Roſcio Amerino, pietas virtutes omnes alias ampleĉtitur, & omnem laudem merentur, qui vitam à parentibus acceptam iiſdem rependunt: quales fuerunt, qui hic enumerantur, & plures alij, quorum copiam Hiſtoriæ ſuppeditant.

TITVLVS V.

DE SOCIETATE HERILI, SEV De Domino & ſeruo.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit ſocietas herilis, quæ materia, quis finis, quis Dominus, quis ſeruus.

Quid ſit. *Materia.* SOcietas herilis eſt Domini & ſerui ad commune Familiæ bonum inſtituta ſocietas. Herilis appellatur, quod primas in hac ſocietate Herus ſeu Dominus obtineat. Materia ſocietatis huius ſunt Dominus & ſeruus, Finis eſt rerum in Familia neceſſariarum comparatio, ad quam neceſſarium eſt, vt vnus imperet, alter imperata exequendo operam & laborem conferat. Vnde ſcientia in Domino, vires in ſeruo requiruntur. *Quis Dominus.* Dominus eſt, qui ſeruo præeſt, familiæque de neceſſarijs proſpiciendo imperat. Seruus eſt, qui opera & labore ſuo ea exequitur, quæ ad familiæ vtilitatem Dominus imperat. Eſt proinde ſeruus inſtrumentum Domini, rationis particeps; ſicque à Belluis ſeparatur. Definiunt Iuriſconſulti ſeruum, qui alieno dominio ſubijcitur, quaſi qui ſit alius. l. 4. Inſt. de Iure perſonarum. §. Seruitus. Hanc ſocietatem Emblemate expreſſit è Græco Auſonius.

Inſidens cæco graditur pede claudus vtroque,
Quo caret alteruter ſumit ab alterutro,
Cæcus namque pedes claudo, greſſumq́ miniſtrat.
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Additamentum.

NOTA hæc ſocietas in duabus perſonis conſiſtit, ſeu in Domino & ſeruo. De ea Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 3. & 4. Et Oeconomicorum lib. 1. Bodinus de Rep. cap. 5. Franciſcus Patritius lib. 4. Inſtitutionum Reip. tit. 4. Domini & Dominæ appellatio à Domo, cui præſunt, deducitur. Eſt enim & ſeruitus & dominium vtriuſque ſexus. Serui à Seruando dicuntur, quod olim in bellis capti ſeruarentur, cùm occidi debuiſſent. Hinc Horatius lib. 1. Epiſt. 16.

vendere

Vendere cùm poſsis captiuum occidere noli,
Seruiet vtiliter, ſine paſcat durus aretque.

Ancillæ dicuntur ab *ancillare*, quod teſte Feſto antiquis erat miniſtrare. Vel, vt alij volunt ab Anco Martio Rege IV. Romanorum, quod is bello magnum fœminarum numerum cœperit

CAPVT II.

Variæ Domini & ſerui diuiſiones.

Dominus natura.

DOminus vel naturâ talis eſt, vel conditione. Dominus naturâ eſt, cui per naturam id conceſſum eſt, vt ſit ſuiipſius. Is autem talis eſt, cui natura prudentiam & mentis ſagacitatem ad ſibi alijſque prouidendum dedit. Vnde ad alijs imperandum natus cenſetur. Dominus conditione eſt, qui ab euentu, ſeu ita fauente fortunâ alijs imperat. Vt cùm quiſpiam fortunæ auxilio dominium in alios ſibi parat, *Item conditione.*

Seruus natura.

Eodem modo ſeruus vel naturâ talis eſt, vel conditione. Ac naturâ quidem ſeruus eſt, cui id à natura negatum eſt, vt ſit ſuiipſius, ſeu iuris ſui ac libertatis. Nimirum cui prudentia ac mentis ſolertia deeſt, ad ſibi alijſque prouidendum. Ideò ſubeſſe alterius imperio, & ab alio regi debet; & quoniam robuſtius plerumque corpus habet, fit vt in corporis vſu præcipuum eius opus cernatur, ac natus ipſe ad obſequendum muniaque corporis obeunda videatur. Seruus conditione eſt, qui ab euentu ita ferente fortunâ alijs ſeruit. *Item conditione.*

Aliæ ſunt ſeruotum diuiſiones, quas perſequi Iuris Conſultorum eſt, dum alios ex lege, contractu, iniuria, crimine, atque alijs modis ſeruos conſtituunt. Nos hic de ſeruis domeſticis ad familiæ vtilitatem agimus. Hos diuidunt aliqui in præpoſitos & Opifices.

Seruus præpoſitus.

Præpoſiti ſunt, qui alijs præficiuntur. Nempè eligendus ſemper aliquis eſt, cui Paterfam. plurima committat, & cuius humeris familiæ onus quodammodo incumbat, quod in perfecta familia dominus negotia ſigillatim omnia præſcribere tractareque ſaluâ ſuâ dignitate non poſſit. Atque hic Vicarius Domini, Familiæ Procurator & Diſpenſator, vel Præfectus vocetur licet. Opifices ſunt, qui viliora ſeu minora Familiæ tractant. Operarij hi ſunt; quorum diſcrimen ab operibus in Familia varijs ſumi poteſt. Alia quippè liberalia opera ſunt, alia minus liberalia: curæ item variæ & conditiones in domo ſunt diuerſæ. *Item opifex.*

Additamentum.

DOminium naturale videtur eſſe præſtantia & directio prudentiorum, qui imprudentes & hebetes antecellunt, regunt, ducunt. Seruitus autem naturalis eſt ſubiectio & obſequium eorũ, qui cùm parum habeant rationis & hebetes ſtupidique ſint, nec ſibiipſis conſulere poſſint prudentiorum ductu, imperio & directione ſuam ad ſalutem indigent. Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 3. probat eſſe quandam ſeruitutem naturalem, nec inutilem nec iniuſtam, idque pluribus rationibus, quæ videri ibidem poſſunt. Cum Philoſopho ſentire videtur Cicero lib. 2. de Natura Deorum. Omnem naturam, inquit, quæ non ſimplex, ſed coniuncta cum alio & connexa eſt, neceſſe eſt habere in ſe aliquem principatum, vt in homine mentem, in bellua quiddam ſimile mentis. Alij verò rectè negant dari vllam ſeruitutem à natura, aut etiam dominium. Verum equidem eſt nec vllus vnquam negauit, alijs alios præſtare quâ corpore, quâ animo; alios hebetiores, alios ingenioſiores & prudentiores eſſe, ſed nullum hinc imperium, nulla ſeruitus rectè colligitur.

CAPVT III.

Quanta ſit Dominorum in ſeruos poteſtas.

Poteſtas caſtigandi moderatè.

DOminorum in ſeruos poteſtas olim fuit vitæ & necis; pro libitu enim occidere ſeruos poterant 1. §. *Qui ſui vel alien. Iur.* In vincula etiam conijcere, mutilare, vendere ſeruos fas illis erat.

Sed

Sed iſta plùs quam nimia inhumanitas Chriſtiani Iuris auctoritate obrogata eſt, & immodica licentia vinculis legum conſtricta. Caſtigare ſeruos ob delicta Dominis licet, ita tamen, vt nulla immanitas, aut grauior ſæuitia deprehēdatur. Quanquam hæc poteſtas infra ex Domini officio innoteſcet.

Additamentum.

OLim poteſtas fuit vitæ & necis, nunc moderatè caſtigandi. Adhuc hodie in Africa ſerui catenis vincti inſtar equorum colere agros coguntur. Alibi vix melior conditio eſt. Sed rectè immodica licentia huius poteſtatis vinculis legum ab Imperatore Iuſtiniano eſt conſtricta, quod abhorreat ab inſtituto Chriſtiano.

CAPVT IV.

De officio Domini erga ſeruos.

ARiſtoteles lib. 1. Polit. c. 7. *Dominus*, inquit, *non in poſſeſſione, ſed in vſu ſeruorum cernitur. Hæc porro ſcientia nihil habet magnum, nihil amplum: nam quæ ſeruum ſcire facere oportet, hæc illum ſcire præcipere conuenit*. Porro Domini officium his legibus complectimur.

Victum & veſtitum præbere. I. *Dominus victum & veſtitum ſeruis præbeat*. Et quidem cibum ac potum benignè illis ſuppeditet, non parca manu, ſed quantum ſatis eſt naturæ. Quippè acerrimum ſeruis ſtimulum ad labores addit, qui ventri eorum ſatisfacit. Venter ſeruorum eſt magiſter, eos omnia & audere & facere docet, Vnde Satyricus.

Græculus eſuriens in cœlum, iuſſeris, ibit. Et Cyrus, Xenophonte teſte lib. 8. ne ſerui cibi aut potus inopiâ laborarent, ſedulo operam dabat: imò obſonia ab auo impetrata ijs aliquando diſtrubuebat. Fœdum ſanè eſt, cum ſeruis ventris cauſa rixari, vt Cato dicebat, cùm aduerſus Dominum experiri, vt alimenta conſequantur, poſſint. Habenda verò diuerſitatis ſeruorum ratio eſt, vt nimirum validioribus & laboris plus tolerantibus amplior victus indulgeatur, alijs minor. Seruorum veſtitus ad neceſſitatem ſit, non ad ornatum, vt honeſtè ſe tegant, & frigus arceant.

Non ſeuerè imperare. II. *Non rigido & inclementi ſed ſuaui & moderato imperio Dominus in ſeruos vtatur*. Sunt enim homines ſunt contubernales, humiles amici, conſerui Dominorum. Fortunâ tantum diſtinguuntur; & hæc quam ſæpe Dominos facit ſeruos? Ab ijs amari malit, quam timeri, hoc enim optimæ indolis & naturæ ſignum eſt. Ariſtoteles lib. 2. polit. cap. 9. de ſeruis loquens, *Si tractentur aſperius* inquit, *viuantque miſere, in Dominos perniciem moliuntur, eoſque oderunt*. Sed nec nimis remiſsâ manu ſunt tractandi. Nam vt ibidem Princeps ille Philoſophorum. *Si agatur cum ijs liberalius ac diſſolutius, libidinoſe ac petulanter viuunt, & cum Dominis de dignitate contendunt.*

Mercedem ſoluere. III. *Mercedem fideliter Dominus ſeruis perſoluat*. Dignus eſt enim operarius mercede ſua, Lucæ decimo capite. Et Tobiæ quarto. *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui omnino apud te non remaneat*. Nam, *qui mercedem ſubſtrahit mercenario, effundit ſanguinem*. Eccleſiaſt. trigeſimo quarto. Pretium operis merces eſt, ideoque mercedis ſolutio Iuſtitiæ eſt opus. Nec illa tantùm ſtatim & fideliter eſt præſtanda, verum etiam quandoque corollario augenda, præſtanda verò ex pacto.

Caſtigare ſeruos. IV. *Caſtiget Dominus ſeruos pro delicto atque ingenio*. Cùm enim ſeruorum ingenia nonnunquam ferociant, ne ex impunitate contemptus, vel grauius malum aliud ſequatur, domari omninò debent. Cùm monentur tantùm, molliores fiunt, & mitium Dominorum conſuetudine metus exoleſcit. Ideò Plato vult omnem cum illis ſermonem fere imperium eſſe. Eccl.

33. cap.

33. cap. *Cibaria & virga & onus aſino; panis & diſciplina, & opus ſeruo. Operatur in diſciplina & quærit requieſcere; laxa manus illi, & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ. Seruo maleuolo tortura & compedes; mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit vitioſitas. In opera conſtitue eum, ſic enim condecet illum. Quod ſi non obaudierit, curua illum compedibus; verum ſine iudicio nihil facias graue.* Caueat tamen Dominus ne iratus ſeruum caſtiget. Ira enim rationi inimica nec modum videt, nec ſeruat. Prætereà in caſtigando humanitatis ſemper ſit memor, poteſtate ſuâ non abutatur, inſolentiam aut ſæuitiam nullam oſtendat; imò nec contemptum. Audiat Apoſtolum ad Coloſſ. 4. *Vos Domini æquitatem & æquabilitatem ſeruis exhibete, ſcientes vos quoque Dominum habere in cælis.*

V. *Dominus ſeruos ſuos ægros humaniſſimè curet, mortuos officioſè ſepeliat.* Humanitatis huius officium cùm ipſos, ſi conualeſcant, tum alios vtiliores & fideliores reddet. Ideò Claudius Imperator, teſte Dione lib. 60. legē tulit, vt ſerui, qui à Dominis propter morbum domo eſſent eiecti, ſi ad ſanitatem redirent, libertate gauderent. Sepultura vltimum eſt, quod à Domino præſtari ſeruis poteſt, officium. Singulare illud ſerui Epitaphium eſt lib. 3. Epig. Græc.

Nunc Here, nunc etiam fidus tibi, vt ante, ſepultus,
Permaneo raræ teſtis amicitiæ.
Ter morbo afflictum releuaſti, & honore ſepulcri
Hoc affeciſti, non equidem exiguo.
Quo Manem memoras Perſam. Pro talibus opte
Seruitia ad nutus vſque parata tuos,

Additamentum.

DIvus Paulus ad Coloſſenſes 4. Domini, inquit, quod iuſtum eſt & æquum, ſeruis præſtate, ſcientes quod & vos Dominum in cœlis habetis. Idem ad Epheſ. 6. Et facite vos Domini eadem illis, remittentes minas ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. Ariſtoteles lib. 1. Oeconomicorum cap. 5. aliquor regulas Dominus præſcribit cum ad delectum ſeruorum, tum ad inſtitutionem, vſum & gubernationem. 1. Paterfamilias ſeruos ſibi paret probos & rebus gerendis idoneos. 2. Seruos eligat neque iuſto timidiores, neque audaciores, Illi laborem non ferunt & ignaui ſunt; hi recuſant imperium & ſunt feroculi. 3. Plures eiuſdem gentis ſeruos non adſciſcet propter periculum conſpirationis & ignauæ garrulitatis. 4. Seruos ijs maturè imbuat, quæ curare debent. 5. Eos neque ſuperbos, neque abiectos eſſe ſinat. 6. Tria ſeruis debentur, *Cibus, Opus, Caſtigatio.* Cibus ſine opere & caſtigatione petulantes facit. Opus eſt caſtigatio ſine cibo quiddam violentum ſunt, & ſeruum infirmum efficiunt. Eccleſ. 23. Pabulum virga & onus aſino; panis diſciplina & labor ſeruo. 7. Cibus ſeruis ſufficiens loco mercedis detur præſertim inferioribus & operarijs. 8. Vini aut parum aut nihil ſeruis præbendum, quia petulantiores reddit, à quo etiam multi ingenui abſtinent. 9. In ſeruo habenda meritorum ratio, hocque modo augenda præmia in cibo, veſte mercede. 10. Mancipij præmium proponatur libertas, cuius ſpes alacriores ad laborem faciet. 11. Serui filijs tanquam obſidibus alligandi ſunt. 12. Sacra & largiores epulæ ſeruorum gratia magis, quàm liberorum faciendæ.

CAPVT V.

Quænam ſint ſeruorum virtutes, in quibus eorum officium cernitur.

APelles ita graphicè ſeruum depinxit, vt haberet aures aſininas, nares porcinas, manus omni inſtrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes ceruinos, labia duabus ſeris clauſa & obſerata. Aſininæ aures tarditatem in audiendo Domini conſilio deſignant; *Conditionum ſerui deſcriptio.*

ſignant; porcinæ nares in olfaciendo herili commodo velocitatem notant; manus inſtrumentis plenè voluntatem ac promptitudinē ad ſubeunda quæcunque opera ſignificant. Per humeros patulos robur ad omnia ſuſtinenda onera intelligitur; per ventrem macilentum vitæ frugalitas indicatur; per pedes ceruinos corporis agilitas oſtenditur; per clauſa labia animi fidelitas & taciturnitas exprimitur. Atque ex his iam ſatis ſerui officium innoteſcit. Quanquam ex pacto plerumque & contractu ſit manifeſtum. Expreſſit gentium Doctor Epiſt. ad Titum cap. 2 *Seruos Dominis ſuis ſubditos eſſe in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus.* Virtutes autem eorum hæ ſunt.

Obſequiū cum diligentia & honore. Inprimis, *Obſequium cum honore & diligentia.* Idem Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 6. *Quicunque ſunt ſub iugo ſerui, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Ad voluntatem ergò Dominorum ſua miniſteria dirigere ſerui debent, nec aliud ſeruitij ſui munus putare, quàm obſequium, quod promptum ſine mora, non moroſum eſſe debet. Quippè ſerui laus hæc maxima eſt, nihil ex Domini iuſſis contemnere, ſed impigrè induſtrièq; vel ſuprà vires conari cuncta exequi, vt ait Philo. Caueant verò ne ad oculum ſeruiant & præſente Domino diligentes ſint, abſente negligentes. Placare non tam velint, quam ex animo facere. Eſt exemplum in Strobilo Plauti in Aulul.

Hoc eſt ſerui facinus frugi facere, quod ego proſequor ne mora moleſtiaque imperium berile habeat ſibi. Nam qui hero ex ſententia ſeruire ſeruus poſtulat, in berum matura, in ſe ſera condecet capeſſere: ſin dormitat, ita dormitet, ſeruum ſeſe vt cogitet berile imperiū edīſcat, vt quod frons velit, oculi ſciant. Quod iubeat, citiū quadrigis citius propeet proſequi, qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubula, nec ſua opera rediget in ſplendorem compedes. Deinde *Fides altera ſeruorum virtus, vel ſanè prima.* Hæc in cuſtodia rerum ipſis commiſſarū inprimis, tum in domini obſeruatione tutelaque cernitur. Seruiunt quippe ſerui, ea quæ domini ſunt, & dominum ipſum ſeruando. Exempla infra dabimus. Tertia ſit taciturnitas, fidei nimirum fulcrum. Scilicet

Fides

Taciturnitas.

——— Hominem ſeruum ſuos
domitos habere oportet oculos, & manus Orationemque.

Ea ſeruorum ſapientia eſt, plus ſcire, quam loqui; non effutire quicquam, vel non ſuo loco dicenda dicere. Præceptum hoc omni ſeruo poſitum eſt, *Tace & audi.* Quid agat dominus, neſciat ſeruus, in ædes alienas ſine eius iuſſu non ingrediatur; aſtans menſæ ne hiſcere vel loqui velit. *Seruis enim*, vt ait Seneca *non mouere labra, ne in hoc quidem, vt loquantur, licet: virga murmur omne compeſcitur.* Sit tamen tum loquendi libertas, cum aut domini agitur, aut ſeruorum innocentia. Nunquam enim nullius maleficij conſcij ſibi ſunt, nihil fecerunt, nihil dixerunt, quod ad domini commodum non ſit. Coercenda tamen in illis eſt omnis loquacitas & ſcurrilitas. *Nam lingua mali pars peſſima ſerui eſt.*

Additamentum.

DIvus Paulus Epiſt. ad Titum cap. 2. iubet Seruos Dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes. D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. Serui ſubditi eſtote, in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Porrò ſeruorum virtutes hæ potiſſimùm ſunt, Obſequium cum honore, fides, taciturnitas. Propertius lib. 3.

Omnis enim debet ſine vano nuntius eſſe,
Maioremq́, timens ſeruus habere fidem.

Plautus in Milite,

——— Nam homini ſeruo ſuos
Domitos oportet habere oculos, & manus
Orationemque.

Idem Epid,

Sed taceam optimum eſt, plus ſcire ſatius eſt,
Quam loqui ſeruum hominem, ea ſapientia eſt.

Idem Perſ.

Qui hero ſuo ſeruire vult, bene ſeruit ſeruitutem
Nae alepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Quæ hero placere cenſeat præſenti atque abſenti ſuo.

CAPVT VI.

Quales ſerui ſint comparandi, & quo numero.

SErui quam optimi ſunt comparandi. Quippè ea familia detrimenti plus accipit, quæ ſeruis improbis vtitur, quàm quæ ſeruis omninò deſtituitur. Et verò ſi coemendorum equorum habendus eſt delectus, cur ni & ſeruorum? Segnes equi ſegniter currum trahunt, & ſerui improbi non rectè domum adminiſtrant. Seruorum autem cùm alij iuniores ſunt, alij adultiores; illi, quotidiana diſciplina formentur; hi vitijs quam pauciſſimis obnoxij eligantur. Rara eſt in ſeruorum genere virtus, frequens verò nequitia. Cato, Plutarcho teſte, eos ſibi ſeruos comparabat, qui diſciplinam & educationem catulorum more admitterent, In adultis nec immodica audacia, nec nimius timor probatur; illa contumaces facit & imperij herilis impatientes, hic ab arduis & periculoſis adeundis reuocat. Malim tamen timidos, quàm audaces. Multi domini ſeruorum audacium irâ cadunt, timidorum manus nemo reformidat; nocent ille ſibi, non domino. Dictum illud ſit hero cuique à Seneca Epiſt. 47. *Colant potiùs te ſerui, quàm timeant.* *Optimi ſunt comparandi.* *Timidi potius quam audaces.*

Numerum hic ſeruorum nullum definio: ſit numerus pro neceſſitate. Multi ſerui magnum ſæpè familiæ ſunt damnum, & qui numeroſum apparatum quærunt, damna ſine numero inueniunt. Frugalitas hic ſit magiſtra, ſed luxus non rarò hanc expungit; quaſi ibi eſſe multæ diuitiæ non poſſint, vbi magna ſeruorum multitudo non eſt. Queritur Iuuenalis ſat. 5. Quod *Numerus pro neceſſitate.*

Maxima quæque domus ſeruis ſit plena ſuperbis.

Additamentum.

COmparandi ſunt quam optimi, qui virtutes illas habeant, de quibus præcedenti numero. Prouerbium eſt, *Quot ſerui, tot hoſtes.* Ideò ſinceres ſeruorum habendus eſt delectus. Iuriſconſulti hanc conſequentiam faciunt, Seruus eſt, ergo nequam, improbus, ſceleratus Quod ad multitudinem attinet, ea Reip. periculoſa eſt, vt patet ex bellis ſeruilibus, quibus olim penè oppreſſi ſunt Romani, de quibus Florus lib. 3. Eadem experti ſunt Scythæ ex Aſia redeuntes, nec aliter quàm flagris domare ſeruos potuerunt, vt refert Iuſtinus lib. 2. Tyrij quoque cùm abundarent ſeruorum multitudine, hi occiſis Dominis Remp. inuaſerunt, coniuges Dominorum duxerunt, liberos, quales ipſi non erant, procrearunt. Romæ cùm in Senatu ageretur de commutandis ſeruorum veſtibus, vt à liberis dignoſcerentur, quidam Senator interceſſit, ne ſerui cognitâ ſuâ multitudine aliquid molirentur, vt refert Bodinus lib. 1. cap. 4. Numerus in familia ſit pro neceſſitate.

CAPVT VII.

Vtri ſint ingenioſiores, domini an ſerui.

DOminorum ingenia ſeruilibus animis longè præſtare nemo eſt, qui neget. Vno exemplo apud Iuſtinum lib. 28. oſtendo, Cùm Tyris Perſico bello multùm attritis ſerui conſpiratione facta liberum omnem populum, ac dominos interfeciſſent, Rempublicamq; inuaſiſſent ductis coniugibus, vnus mitiori ingenio domino ſuo ſeni pepercit. Vnde cùm ſtatuiſſent ex ſua multitudine Regem eligere, eumque potiſſimùm, qui ſolem orientem primò vidiſſet, ille vnus rem omnem ad dominum latitantem detulit, qui monuit, vt omnibus orientē ſpectantibus ſolus occidentem regionem intueretur. Quod cùm feciſſet, & ab alijs, velut in occidente ſolis ortum quærens *Domini ſunt ingenioſiores quā ſerui.*

quærens rideretur, mox editiſſimis culminibus vrbis ſol ſplendere cepit, cuius fulgorem in ſummo ciuitatis faſtigio alijs fruſtrà expectantibus oſtendit, & Rex eſt creatus. Cùm dominum autem conſilij authorem dixiſſet, intellectum eſt, quantum ingenua ſeruilibus ingenia præſtarent, Sua tamen in arte conditioneq́ue ſeruis ingenium plerumque nõ deeſt. Alio id exemplo apud Iuſtinum lib. 1. declaro. Principes Regni Perſarum occiſis Magi pacti inter ſe ſunt, vt die ſtatutâ omnes equos ante Regiam primò mane perducerent, & cuius equus inter ſolis ortum hinnitum primus edidiſſet, is Rex eſſet. Erat inter coniuratos Darius Hypraſi filius, cui de regno ſollicito equi cuſtos, ait, ſi ea res victoriam moraretur, nihil negotij ſupereſſe; per noctem deinde equum pridiè conſtitutam diem ad eundem locum ducit, ibiq; equæ admittit, ratus ex voluptate veneris futurum quod euenit. Poſterâ die itaque cùm ad ſtatutam horam omnes conueniſſent, Darij equus cognito loco ex deſiderio feminæ hinnitum ſtatim edidit, & ſegnibus alijs felix auſpicium domino primus emiſit. Ita ille. Multum tamen ingenijs ſeruitus obeſt; & qui ſeruiliter tractantur vix explicare ingenium poſſunt.

Ingenium tamen eſt in ſeruis.

Additamentum.

INgenia Dominorum meliora hic duobus exemplis probantur. Quippè ſeruitus ingenio nocet; & vt obſeruant authores ij populi, qui ſeruitute premuntur minus ingenio poſſunt & valent, vt Aſiæ populi, qui hodiè ſub ſeruitute Turcica ſunt & Perſica. Obſeruatum quoque in Rebuſpublicis liberis ſemper ingenia pluſquàm alibi floruiſſe. Non tamen ſerui vſque adeò à Natura damnati ſunt, quin etiam naturæ dotibus plerumque ſint excellentes. Id patuit in Seruio Tullio VI. Romanorum Rege, qui ſeruus ſerua maximè natus prodigio etiam ad regnum aptus eſt declaratus.

CAPVT VIII.

An præſtet ſeruum habere minùs ingenioſum & timidum, quàm ſubtilem & animoſum.

STupiditas & timor vitia ſunt naturæ, ſubtilitas autem & fortitudo, teſte in Ethicis Ariſtotele, virtutes ſunt. Age, ſi timidus ac ſtupidus ſit in magnis potiſſimùm familijs, quomodo domini commoda proſequetur ac defendet? non rarò ſolers ac prouidus famulus familiæ ſalus eſt, & quandoque ſtupiditas ingentis lucri iactura eſt. Neque ita otioſus eſt domi famulus, quin aliqua ei pars familiæ cõmmittatur, ad quam, vt cùm domini vtilitate attendat, ingenio opus eſt, & audaciâ. Multum eſt eiuſmodi famulum habere, qui non tantùm domini verba nimis aliquando aperta intelligat, verùm etiam nutus, ſigna, oculorum commotionis & vultus mutationem, atque ipſos quodammodo digitos. Imò, qui ex circumſtantijs voluntatem agnoſcat, quod niſi ingenio valeat, nunquam ſanè faciet. Quid, quod multi nonnunquam domini admodum parum ingenij habeant, & ſeruorum vti ingenio ſua ad negotia debeant? Præcox tamen & ſubtile ingeniũ iugi impatiens eſt & imperij: qui verò timidus & minùs ingenioſus eſt ſeruus, ſpe præmij, aut metu pœnæ placere domino, ſuumq́ue ſponte præſtare officium conatur. Qui aſtutus & animoſus eſt, philautia turget, & dum ſuo ingenio vtitur, ſuperbit. Satis eſſe ſeruo debet, ſi domini ratione, ingenio, & imperio dirigatur. Acies ingenij & confidentia animi ſæpiſſimè magnæ ſunt temeritatis cauſæ. Ex confidentia oritur contumacia, ex hac in dominum rebellio. Subtilitas vulpem & furem facit. Ingenio feliciori deſtitutos natura ad ſeruitium deſtinauit. Expedit igitur minus ingenioſum & timidum habere ſeruum, quàm ingenio ſubtilem & animoſum.

Addita-

Additamentum.

IVdicamus præſtare minus ingenioſum & timidum, vt ex rationibus allegatis patet. Illud verò attendendum, cùm multa ſint & diuerſa familiæ officia, ſunt nonnulla, que ingenium in ſeruis requirunt, vt ijs debitè fungantur. Itaque id præcipiunt Oecouomici, vt tale ingenium in ſeruo attendatur, quali opus eſt ad miniſterium, quod exercere debent. Hoc cauendum ne ſuperbum & turbulentum ſit ingenium, quod iugi imponens eſt; nè vè etiam fraudulentum, quia Dominus commodum non attendet, & familiæ detrimento erit.

CAPVT IX.

Exempla ſingularis fidei ſeruorum erga dominos.

LAudabilis ſanè multorum ſeruorum erga dominos eſt fides. Exemplis illam teſtemur. Non eos verò in hanc laudem voco, qui iuſſi gladium domini cruore purpurauerunt, eundem poſteà per ſua præcordia egerunt. Crudelis iſta fides fuit. Seruatorum dominorum gloriam hi habent.

Inprimis M. Antonij Oratoris ſeruus, qui cum domino ad ſtuprum prętuliſſe laternam diceretur, & in quæſtionem poſtularetur, cònuerſus ad Antonium vehementer confuſum & ſollicitum, bono, inquit, eſto animo, nullum verbum ex ore meo exibit, quo tua cauſa lædatur. Laceratus poſteà verberibus, eculeo impoſitus, candentibus laminis vſtus promiſſi fidem mirâ patientiâ præſtitit. *Serui M. Antonij.*

Demus ſecundum locum Menenij ſeruo. Hic cum Menenius inter proſcriptos à militibus quæreretur, vt domini vitam ſeruaret, ſuam contempſit, lecticam eius ingreditur, & ferri ſe à ſeruis alijs iubet. Milites dum Menenium eſſe putant, illum occidunt. Intereà Menenius ſeruili indutus veſte in Siciliam ad Pomponium aliâ viâ euaſit.

Turbam ſimul tertio loco ingero. Vrgebat Patauinos Aſinius Polliò, vt pecuniam & arma præſentarent. Cùm nollent & latitarent, libertatem ſeruis, ſi detegerent, promiſit. Nullus detexit. *Seruorum Patauinorum.*

Sine ordine, aut eodem in ordine, cæteros pono. Vrbinij Panapionis ſeruus, cùm ad dominum occidendum in Reatinam villâ veniſſe milites cognouiſſet, commutatâ cum eo veſte, permutato etiam annulo illum poſtico clam emiſit, ſe autem in cubiculum ac lectulum recepit, & vt Panapionem occidi paſſus eſt. Panapion poſteà amplum ſeruo monumentum erexit. *Serui Panapionis*

Cepio cùm in Auguſti vitam conſpiraſſet à ſeruo in corbe tectus ad Tyberim delatus, inde Oſtiam, nocteque proximâ prope Laurentum. Ibi cum nauem conſcendiſſet, Cumas vſque contrario vento reiectus Neapolim comite ſeruo perrexit, & latuit. Captus tandem à Centurione perſequente ſeruus nullo cruciatu adduci potuit, vt dominum detegeret. *Serui Cepionis.*

Proſcriptus à Triumuiris Antius Reſtio occupatis circa rapinam & prædam domeſticis nocte intempeſtâ fugit. Senſit hanc fugam ſeruus quidam vinculorum pœna ab eo coercitus, cumque curioſis oculis veſtigia ſpeculatus eſſet, lateri voluntarius comes adrepſit. Vbi ſuperuenerunt milites amoto domino rogum extruxit comprehenſumque & occiſum quendam ſenem ſuperiecit. Interrogantibus militibus, vbi eſſet Antius, manum rogo intentans, en, inquit, ſuæ in me crudelitatis pœnas luit. Habita eſt ſeruo fides, interim Antius euaſit. Vide plures apud Valerium, Fulgoſium, & alios. *Serui Antij reſtionis.*

Additamentum.

HIs exemplis hæc addi poſſunt. Cum Domitianus Imp. milites quoſdam miſiſſet, qui L. Piſonem Africæ Proconſulem interimerent, Carthaginemque ingreſſi, ad Piſonis ædes veniſſent, vbinam Piſo eſſet, quæſiuerunt. Piſonis ſeruus intellecta

intellecta aduentus eorum cauſa, ſe Piſonem eſſe mentitus eſt, proque eo mortem oppetijt. Cùm Cleopatra intellexiſſet Antonium ſuſpicari ipſius culpâ eladem apud Aſtiacum promontorium acceptam, eius irā verita in ſepulchra ſe recepit, miſitque qui Antonio nuntiarent eā eſſe mortuam. Antonius Cleopatræ morte commotus, Heronem ſeruum vocauit, ſibi per eum mortem inferri iuſſit. At ille domini vitæ, quàm ſuæ ſtudioſior, arrepto gladio dum fingit Antonium percutere ſe velle, gladium in ſeipſum conuertit. Gozagianus Perſa cùm ingentes opes in India comparaſſet, ex inuidia falſi criminis apud Iudicem accuſatus; & occidi iuſſus eſt. Cùm autem duo eius ſerui à Rege vocati eſſent, vt domini pecuniam indicarent, illi quamprimum mortuum iacentemque herum ſuum conſpexerunt, ſpretâ vitâ, animo vnanimes, cultellis quos ſecum habebant, Regem occiderunt.

CAPVT X.

De officio ſeruorum erga dominos.

SEruorum erga dominos officium hôc vnâ lege complector, *Serui dominos honorent, obſeruent, timeant, ijs obedientes ſint & fideles* Naturæ ea lex eſt, proindè ſola ſufficiat. Sit obſequium ex animo ſincero non ficto. Exempla ſuprà dedi, in quibus cùm fides in dominos cernatur, tum honor, obſeruantia, obedientia non deeſt. Doctor gentium Paulus ad Epheſ. 6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, non ad oculum ſeruientes, ſed in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti.* Et D. Petrus Epiſt. cap. 2. *Serui ſubditi eſtote in timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Ioannes Campanus officium ſerui & mores expreſſit.

Scis mihi qua, Polydore, potes ratione placere.
Si quæ præſcribam præcipiamque; facis.
Lex igitur ſit prima, fidem ſeruato; deindè
A domini mundas rebus habeto manus.
Odi mendacem, non poſſum ferre proteruum;
Nec tu luſorem crede placere mihi.
Odi qui multum ſeſe mihi iactat, & odi.
Alterius famam qui lacerando premit.
Diſplicet indocilis, nimium mihi diſplicet ille,
Qui multo ſemper murmure iuſſa facit
Non eſt quod durum, non eſt quod litis amantem,
Contactum non eſt inuidiâ quod amem.
Aſſentatorem non planè diligo, nec qui
Deſidiæ fuerit deditus atque gulæ.
Qui toleret famulum domini ſecreta volentem
Scire, quis elatum multiloquumque ferat?
Fallacem fugio ſeu tartara, denique cultum
Ingenuis hominem moribus eſſe volo.

Euripides in Euryſteo
Fidum oportet eſſe miniſtrum,
Et talis cum ſit res beriles amare.

Additamentum.

HOc conſiſtit in honore, timore, & obedientia. Addo quod monet Mercator in Aſinaria Plauti Non decere ſeruum hominem eſſe ſuperbum. Quippè vt monet Seneca Seruus herilis imperij cenſor non eſt, ſed miniſter. Nihil etiam inuito vel non iubente domino ſuſcipiendum eſt à ſeruo. Serui enim eſt obedire, non imperare non regere; adeoque qui refragante domino aliquid molitur, à ſerui officio tantùm recedit, vt ſe domini dominum oſtentet. Cùm autem iuſſa domini vel expreſſa, vel tacita & intellecta ſint, præcipiunt Oeconomici, vt ſeruus nihil aggrediatur, quod alterutro ſenſu, hoc eſt expreſsè, vel tacitè non ſit imperatum.

ratum. Præterea ne ſit nimia curioſitas in ſeruo, ſed exequendi diligentia. Eunæus apud Homerum à Telemacho interrogatus, quid in vrbe noui gereretur, Reſpondit nullam penitus ſibi fuiſſe curam de nouis interrogandi, ſed cùm miſſus eſſet in vrbem aliquid nuntiatum, animum fuiſſe hoc quamprimum nunciare, & properè reuerti.

CAPVT XI.

Variæ de ſeruis quæſtiunculæ.

I. AN *domini familiares eſſe ſeruis debeant?* Notum eſt illud. Familiaritas contemptum parit. Nimia nimirum. Sanè ſi non nimis familiares filijs eſſe parentes debeant, multò minùs ſeruis. Periculoſa hæc res eſt. Rara eſt ſeruorum fides; ab ijs domini gradu, ordine, virtute ſecernuntur. Audi tamen Senecam ad Imperatorem Epiſt. 47. *Cum ſeruis familiariter viuere decet prudentiam tuam. Serui ſunt? imò homines. Serui ſunt? Imò contubernales. Serui ſunt? Imò humiles amici. Serui ſunt? Imò conſerui, ſi cogitaueris tantundem in vtroſque licere fortunæ. Itaque rideo iſtos, qui turpe exiſtimant cum ſeruo ſuo cænare. Quare? niſi quia ſuperbiſſima conſuetudo cænantem dominum ſtantium ſeruorum turba circumcingi, maieſtatis ſuæ dominationem putare, ad eandem menſam cum ſeruo accedere.* Nec nimia ergò ſit familiaritas, nec deſpectus. *De familiaritate cũ ſeruis.*

II. *An ſeruis bibere vinum liceat?* Moderatum hauſtum concederem, ſi moderatione vti nouiſſent. Non norunt. Ebrij vino, furentes, & inſolentes fiunt. Perſæ vt teſtis eſt Xenophon, lege ſeruis vinum interdixerunt. Imò in Aſia & Africa non ſerui tantùm, ſed liberi etiam à vino abſtinent: loquax eſt vinum & ſecreta effundit. Aut igitur parcè, aut non bibant. *De vino ijs dando.*

III. *An expediat in aliqua familia plures eſſe ſeruos peregrinos?* Sit aliquis, ſi ita contingat, non plures. Plures peregrinos mores inducunt, alienæ gentis odio feruntur, quæ alij non intelligunt, loquuntur, belli tempore multorum malorum ſunt inſtrumenta. Vnus aut alter quandoque vtilis. Nimirum cùm peregrini mores, ritus, lingua diſci debent. *De ſeruis peregrinis*

IV. *An domini teneantur ſeruos ſuâ arte imbuere?* Id commodum familiæ ſuadet, & publicum ciuitatis bonum exigit; illud enim nullum eſſet, hoc langueret, cui conſulere omnes & ſtudere debent. *De ſeruis arte dominorum imbuendis.*

Additamentum.

PRima eſt de familiaritate cum ſeruis. Ariſtoteles 9. Ethic. negat inter dominos & ſeruos amicitiam eſſe poſſe. Nimirum inæqualitas illa, quæ eſt inter imperium & obſequium impedit. Quod ſi tamen vera eſſe amicitia non poſſit, aliqua eſſe familiaritas poteſt, quæ in humanitate comitateque dominorum conſiſtat, à qua illi non abhorrebunt, ſi ſeruos eſſe homines etiam cogitent.

Secunda eſt de vino, an illud ſeruis ſit dandum. Quidam ita reſpondent, Cyrus, non alius ſit ſeruis, quã qui canibus. Potus vt eſt apud Xenophontem lib. 8. quando iter erat faciendum ad aquas ſeruos, vt iumenta ducebat. Ariſtoteles vini parum, aut nihil ſeruis indulget, quod vini potus etiam liberos ab officio abducat. Verum hæc lex ita fixa eſt, vt refigi poſſit attendendo ad indolem ſeruorum, ad opus, ad corpus, ad loci conditionem. Horum Conſideratione ſeruis vini aliquid poteſt indulgeri.

Tertia eſt de peregrinis ſeruis. Hos aliqui probant in familia, atque idcircò, quod cùm tales indigenis ſunt permixti, non facilè ſimul omnes conſpirant, & quædam æmulatio inter diuerſas nationes eſt, facilèque inuicem perfidiam ſuam prodent, ſi quæ ſit. Romani ferè peregrinis omnibus ſeruis vtebantur. Certè ſi aliqui eſſe debent, ne numero indigenas ſuperent.

Finis Libri primi.

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM OECONOMICARVM SEV ELEMENTORVM DOMESTICÆ DOCTRINÆ LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De acquiſitione in Genere.

CAPVT I.

Res aliquas ad familiam ſuſtentandam acquirendas eſſe.

Neceſſitas rerum. HACTENVS de perſonis; nunc de rebus ad familiam neceſſarijs dicendum. Cùm enim, vt inquit Ariſtoteles lib. 1. cap. 4. *Sine rebus ad victum neceſſarijs neque viuere, neque benè viuere fas ſit.* Oeconomus ſeu paterfamilias non is tantùm eſt, qui maritus, pater, dominus, ſed qui familiæ de rebus ad vitam degendam neceſſarijs prouidet. Neque naturę ſatis eſt domus partes dediſſe, ſed res etiam eas ſuppeditat, quibus familia alitur & conſeruatur. *Res neceſſaria.* Ea verò ſunt quæcunque ad habitandi commoditatem, ad victum, ad veſtitum, ad ornatum decentem ſpectant; nimirum domus, agri, fructus, animantia, pecunia, merces & id genus, quæ poſſeſſionum nomine cenſentur.

Duplex ratio acquirendi. Porrò duplex eſt acquirendi victus ratio. Vna naturalis, quæ ex agricultura, paſtione, aucupio, venatione; altera artificialis, quæ ex mercatura rerumque commutatione fluit. Hanc naturalem etiam eſſe quoddammodò quidam volunt. Vtraque autem pars quædam eſt Oeconomicæ. Naturalem illam natura ipſa rerum Parens homines docuit. Artificialis hominum induſtriâ ſtudioque inuenta eſt. De vtriuſque partibus poſteà.

Additamentum.

FRVSTRA Familia eſt, ſi res ad eam ſuſtentandam paratæ non ſint. Ideò in omnibus ſocietatibus hoc naturæ conſilium eſt, vt victus & vitæ neceſſaria ſeu opes parentur. Inde Ariſtoteles familiam eſſe non putauit, cui ſeruus aut bos, quo ſerui loco pauperes vti ſolebant, deſit. Imò in domo coniunctio quędam domini & ſerui reperitur, nullo certè alio conſilio, niſi vt ſerui opera familiæ neceſſaria parentur. Quemadmodum enim nihil rectè geri aut in domo, aut in ciuitate poteſt, niſi copia adſit opum & poſſeſſionum, quæ vt ſunt ad vitam neceſſariæ, ita ad ſocietatem ciuilem

ciuilem & omnes alias ſubordinatas omnino requiruntur, vt ait Ariſtoteles 1. polit. cap. 5. Irriſus olim fuit Dinocrates Architectus monti præalto ciuitatem inædificare cogitans, cui tamen frumentum & alia neceſſaria aut difficulter, aut non poſſent ſubminiſtrari. Sicut infans ſine lacte nutricis ali non poteſt, ita nec familia aut etiam ciuitas ſine agri fructibus poteſt ſe tueri.

C A P V T II.

Leges Patrifamilias in acquiſitione ſeruandæ.

I. N*On nimium ſit rei familiaris augendæ ſtudium.* Ideò M. Tullius Lib. 2. Offi. *Adhibenda igitur eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt, ſed ita, vt illiberalitatis, auaritiæque abſit ſuſpicio.* Nimia hæc cura verè cor vrit, & angit. Eam abeſſe à Chriſtianis Chriſtus ipſe vult Matthæi 6. ne nimirum ſolliciti nimium ſint, quid comedere aut bibere debeant. Verè Horatius in Epiſt.

Non ſit nimium ſtudium.

Perdidit arma, locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat, & obruitur re.

II. *Rem familiarem honeſtis tantùm artibus augeat.* Quippè rei familiaris amplificatio nocere nemini debet, vt monet Cic. lib 1. Offic. Vndè illud Thaletis locum hic habet. *Non ditari nequiter.* Abſit proindè omnis turpitudo ab ijs rebus, quibus amplificanda res familiaris eſt. Aut turpiter auari, aut nequiter flagitioſi ſunt, qui quouis modo inhoneſto illicitoque diteſcunt.

Ne inhoneſtas artes.

III. *Sit diligens & laborioſus.* Nam rei familiaris adminiſtratio operâ & diligentiâ conſtat. Verè iam olim vulgò iactatum. *Fertilis eſt in agro Domini oculus.* Illuſtre eſt Furij Creſini exemplum apud Plinium lib. 18. cap. 6. Paruo ex agello plurimos & vberrimos fructus colligebat, vndè orta in eum vicinorum inuidia, qui ipſum alienas fruges veneficijs pellicere dicebant. Igitur cum illi dies à Sp. Albino dicta eſſet, filiam validam, benè curatam & veſtitam in forum produxit, ibidem ruſtica omnia inſtrumenta, ligones, vomeres, & id genus ferramenta egregiè facta, ac boues ſaturos in omnium conſpectu conſtituit. Tum quid hæc ſibi vellent ſtupentibus omnibus *Hæc*, inquit, *Quirites, veneficia ſunt mea, interim lucubrationes, vigilias, & ſudores meos non videtis.* Quid deindè? omnium ſententijs abſolutus eſt. Sanè non multâ impensâ, ſed multâ operâ res creſcunt.

Adſit diligentia & labor.

IV. *Ne ſit cupidus, ne emax; in omnibus verò parſimoniâ vtatur.* Mirus hic acquirendi modus, verus tamen. M. Tullius paradoxo vltimo. *Non eſſe cupidum, pecunia eſt, non eſſe emacem vectigal eſt: contentum verò ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque diuitiæ.* Idem ibidem, *O Dij immortales, non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia.* Omninò qui parcè diuitijs ſuis vtitur, id acquirit, quod prodigus, & ſine ratione magnificus amittit. Multi quicquid vident, quicquid arridet oculus, emunt ſtatim. Hac vna exhauriendi ſe ratio eſt. Referri huc poſſunt præcepta aliqua ex ijs, quæ patrifamilias ſeruanda dedimus lib. 1 tit. 2. c. 3. Seneca in Epiſt. *Emas non quod non opus eſt, ſed quod neceſſe eſt; quod non opus eſt, aſſe carum eſt.*

Non ſit cupidus vel emax.

Additamentum.

PRima eſt, vt non nimium ſit parandarum opum ſtudium. Diligens paterfamilias non tantùm familiam prudenter ac peritè moderatur, ſed etiam naturæ inſtinctu, quæ ſpeciei conſeruandæ ſtudium omnibus ingenerauit animantibus, ijſdem quoque de victu & alijs neceſſarijs proſpicit, hæc autem cura eius in infini-

tum extendi & ſine fine errare non debet, vult, cuius deſideria finita ſunt, ex falſa verò opinione naſcentia, vbi deſinant,non habent; nullus enim terminus falſo eſt,vt ait Seneca Epiſt. 16. Naturale deſiderium tantam opum copiam requirit, quantam vſus familiaris exigit. Ex uſu enim & indigentia metiri oportet illa, quæ neceſſaria ſunt & acquirenda. Finis patrisfamilias & ſuſtentatio familiæ, quam vt aſſequatur res & poſſeſſiones parat, pro ratione neceſſitatis familiæ, qua de rę Ariſtoteles 1. Polit. cap. 6. Vnica autem poteſt eſſe ſufficientia ex neceſſitatibus, quæ ſubindè variantur, definiendo.

Secunda eſt. Vt honeſtis artibus res familiaris augeatur. Chryſippus apud Laertium lib. 7. ſuadet non augendam rem familiarem; ſed melius Seneca Epiſt. 64. Agamus, inquit, bonum patremfamilias, faciamus ampliora, quæ accepimus; maior iſta hæreditas à me ad poſteros tranſeat. Sed regula Ciceronis eſt lib. 2. Off. rem familiarem quæri debere ijs rebus, à quibus abeſt turpitudo; & cùm diligentia parcimoniaque conſeruetur, iiſdem rebus debere augeri.

Tertia eſt, vt adſit diligentia & labor. Quippè omnia Dij laboribus vendunt, & omnium rerum acquirendarum instrumentum eſt labor. Quot ſunt vitæ genera, tot ſunt modi rem ſuam augendi, ſi labor non deſit. Socrates, vt ſcribit Halicarnaſſeus patrem habuit Theodorum mediocris fortunæ virum, qui famulos tibrarum fabros alebat, quo ſe queſtu ſuſtentabat. Apud Veteres quidam erant, qui familias alebant locabantque & ſic viuebant.

Quarta eſt, Ne ſit cupidus vel emax. Cic. 2. Offi Habenda, inquit, ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt, ſed ita vt illiberalitatis auaritiæque abſit ſuſpicio. Summa autem prouidentiæ iure familiari eſt, vt quam minimum ſit impendij; tunc autem id non ſeruatur, cùm paterfamilias nimium eſt emax. Monſtrat hoc Plinius lib. 18. cap. 6. loquens de veteribus Romanis. Præcipiebant autem iſta, inquit, qui triumphali viro denas argenti libras, in ſupellectile crimini dabant. Inde iſta vulgata, nequam eſſe agricolam, quiſquis emeret, quod præſtare ei fundus poſſet. Et apud eundem c. 5. Cato fructum enim maximum, ait, probari, qui quam minimo impendio conſtet. Conſtat autem magno, quicquid emitur, quod neceſſarium non eſt. Tantùm ergò ematur, quantùm neceſſe eſt.

CAPVT III.

Vtrum Oeconomus ſtudere potius debeat naturæ, an fortunæ ſeu artis bonis acquirendis?

Natura potius bonis.

Bona omnia vel naturâ, vel arte acquiruntur. Natura, eę videlicet opes, quæ ex agris colliguntur. Arte, vt argentum, gemmæ, & id genus. Studere verò naturâ partis Oeconomus potius debet, quàm alijs. Illa quippè familiæ neceſſitatem leuant, & famem pellunt; non item hæc. Sine diuitijs naturâ partis ſtare omninò nulla domus poteſt, nec ſtetit vnquam, etſi illo veterum æuo nullum eſſet numiſma. Iam ab ipſis mundi cunabulis terra parens ad hominum victum fruges, vuas, herbas, animalia, fructus, & quicquid ad vſum vitæ neceſſarium eſt, liberaliſſimè ſuppeditauit. His cùm inſtructa familia eſt, concidere non poteſt; alijs cùm abundat, neceſſitati vicina eſt. Ac naturales quidem diuitiæ cùm vitam foueant, tùm ſanitatem & pacem familiæ adferunt, quàm illa fortunæ bona non rarò perturbant. Quid amœnius, aut delectabilius eſſe poteſt, quàm in agris copioſam rerum omnium meſſem colligere? labore infinito & immenſo metu torquentur, qui artibus ſuis pecuniam quærunt. Inueniunt ſæpè, ſed pacem & ſalutem amittunt, aut certè cùm omnia inuenerunt, nihil ſatis habent.

Additamentum.

Naturæ potiùs bonis. Ita hic cenſemus. Hinc Horatius lib. 1. Epiſtola 15. dixit eos

—— Bene viuere, quorum
Conſpicitur nitidis fundata pecunia villis.

Accedit, quod in naturæ bonis ſint omnia, quæ neceſſaria eſſe poſſunt. Vndè Stobæus ſermone 56. de Agricultura ait Omnia, quibus egenus, in agricultura ineſſe. Quin & omnes veterum diuitiæ in agris atque pecoribus erant; & vt Cato refert, ſi

fert, ſi quem virum bonum, colonum bonum dixiſſent, ampliſſimè laudaſſe exiſtimabantur. Interroganti cuidam quidnam agendo celeriter quiſquam locupletari poſſet? Reſpondit Cato, Qui agrum benè coleret. Et rurſus inſtanti, quid deindè faciendo? Reſpondit, ſi ſatis benè coleret. Sed infra de Agricultura.

CAPVT IV.

Vtrùm præſtet bona ſua in agris retinere & curare, aut ijs venditis neceſſaria familiæ procurare?

Attici patresfamilias olim ſuorum prædiorum fructus omnes diuendebant, neceſſaria deindè familiæ aliundè procurabant. Aliter verò Perſæ, qui habitâ agrorum diligentiſſimâ ratione fructus omnes colligebant, eos ſibi retinebant, & de ijs familiæ ſuæ prouidebant. Horum morem, non item illorum probamus, quod ſuis vti, quam ijs diuenditis aliena emere longè ſanè ſit præſtantiùs. Propria aliundè emptis vtiliora, ſalubrioraque ſunt; quæ cùm retinere ratio ſuadeat, tùm aliena emere, quiddam eſt à ratione alienum. Ridiculum eſt, eum in forum ire grana vt emat, vel vina, qui habere ſuis ex agris poteſt. Solo illi culturæ labore natura dat, quod emere magno ſumptu apud alios debet. Quid? latrocinia, fraudes, inſidias times? Quaſi verò nemo emptis inſidietur. Habe ſeruos oculatos & fidos, ſuo quæque in loco ſint, materfamilias rarò à clauibus & oſtijs oculos retorqueat, nihil timebis. Vbi bona cuſtodia eſt, ibi ſecuritas eſt. Fures non ad fructus, ſed ad collectas pecunias volant. Nec exigua illa voluptas eſt, ex ſolo prædio ſuo victum familiæ procurare, vbi quicquid animantium eſt, vtilè eſt. Cùm agri grana ſuppeditent, & vineæ vinum, tùm oues lanam, boues carnem & corium, gallinæ pullos & oua, viuarium piſces, pecudes in cibum & neceſſitates alias ſe præbeant. Nolim tamen, vt nihil paterfamilas vendat; ſuperflua multa ſunt & plura, quàm familiæ vſus exigat. In forum mittat, quicquid ſupereſt, vt famelicam ſæpè ciuitatem iuuet.

Mos Atticus. *Mos Perſicus.* *Quid ſentiendum.*

Additamentum.

Exiſtimamus ſatius eſſe ſua bona in agris retinere curareque, deque ijs more Perſarum familiæ prouidere. Ideò Cato certiora ac ſecuriora emolumenta poſſe parari exiſtimauit, ex lacubus, aquis, locis fullonibus idoneis, prædijs quæ paſcua haberent, & ſyluis natiuis, eùm, vt ipſe dicere ſolebat, ne Iupiter quidem his poſſeſſionibus nocere poſſit. Eſt & iuſta maximeque naturalis vitæ ſuſtentandæ ratio ex agris. Veteres Patriarchæ, Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Iobus, alijque, non alia, quàm in agris bona habuerunt; eorumque ætate penè incognita fuerunt, quæ aliundè ſunt ab induſtria & fortuna. Horatius lib. 3. Ode 16.

Purus riuus aquæ ſyluaque iugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meæ
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit ſorte beatior.

Accedit quod reliqua bona, quæ in agris non ſunt, magis ſubiaceant periculo furum. Vndè idem Horatius lib. 1. Satyr. 1.

An vigilare metu exanimem noctesque dieſque
Formidare malos fures, incendia, ſeruos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper egò optarem pauperrimus eſſe bonorum.

Dapes inemptæ, quæ ex agris ſunt, multo quoque alijs emptis iucundiores & certiores, vt idem Horatius docet libro Epodon Ode 2.

TITVLVS II.

De naturali acquirendi Ratione.

CAPVT PRIMVM.

De acquiſitione per agriculturam.

Commendatio agriculturæ.

OMnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, teſte Marco Tullio lib. 1 Off nihil eſt agricultura meliùs, nihil vberius nihil dulciùs, nihil libero homine digniùs Ea docet quæ ſint in quoque agro ferenda, ac facienda, vt quæque terra maximos perpetuò reddat fructus, ait Varro lib. 1. de re ruſtica, cap. 3. Hanc olim etiam Illuſtres viri excoluerunt: atque inprimis Sanctiſſimi Patriarchæ Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Moyſes, Dauid, aliique. Oſias Rex agriculturæ deditiſſimus fuit. Eiuſdem ſtudioſiſſimus Perſarum Rex Cyrus, qui ita induſtriam illam exercuit, teſte in Oeconomia Xenophonte, vt ex ea non minorem, quam ex re bellica, laudem reportarit. Alcinous Phæacum Rex excolendis hortis diligentiſſimam operam præſtitit Diocletianus Imperator depoſito imperio reiectaque Cæſarea purpura in agriculturæ ſtudio conſenuit, & tranquilliſſimam ibi quietem inuenit. Attalus Pergamenorum Rex omiſsâ quoque regni adminiſtratione fodere hortos & illis inferere ſemina cepit. Sed in laudes agriculturæ hic excurrere propoſitum nobis non eſt. Id exequitur apud Ciceronem Cato libro de ſenectute, & quanta ex agrorum, vinearum, hortorumque cultura voluptas capiatur, quantuſque ſit prouentus & vtilitas, eleganter oſtendit Nihil antiqui diuites poſſidebant niſi pecudes vel agrorum prædia. Vnde Ouidius lib 5. Faſtorum.

Aut pecus, aut latam diues habebat humum. Nec aliæ Patriarcharum olim diuitiæ fuerunt. Adeò nihil excogitari hominibus vtile & neceſſarium poteſt, quod non è terra naſcatur, ſi ad naturam viuere velimus, quæ vel idcircò ab hominibus mater appellatur, mitiſſima ſanè & indulgentiſſima.

Prima cura patrisfamilias.

Quoniam verò *Nequaquam paterfamilias is putatur*, vt veteres dicebant, *qui ea emit, quæ parere ex fundo ſuo poteſt*; prima ſit patrisfamilias cura, vt quamplurimum, & quam optimum frumentum ex terris ſuis colligat. Id aſſequetur, ſi labor in colenda terra non deſit, quæ ſemper fide bonâ, & maximo cum fœnore, quod depoſitum eſt, reddit. Habenda diligens eſt cœli, ſoli, regioniſque ratio, & pro terrarum diuerſitate id frumenti genus grato animo accipere, quod gratis natura producit.

Secunda cura.

Secunda cura ſit, vt vinum ſuo tempore ex vineis ſuis habeat. Idcircò diligenter colendæ ſunt vites, quarum tres ſunt motus, vt Celſus & Atticus ſcribit; vnus quo germinant, alter quo florent, tertius quo mateſcunt. Qui omnes foſſionibus concitari quibuſdam debent, vt natura, quæ ſatis efficere, quod vult non poteſt, ſtudio & labore adiuuetur.

Tertia cura.

Tertia cura ſit, vt legumina & olera, pro familiæ neceſſitate ex hortis habeantur. Hæc enim etiam culinam & menſam adiuuant. Nec alius olim antè diluuium victus, quam quem legumen & olus faciebant. Fuit is quoque Gymnoſophiſtarum; imò etiam quorundam Regum. Tanti erat facilem à naturæ manu victum accipere, & corporibus ſalubrem, & ſine inuidia parandum.

Quarta cura.

Quarta cura ſit, vt arborum fructus ad familiæ vſum, quotannis reponantur. Ideò adhibenda eſt non parua cura, vt ſerantur inſeranturque arbores, quæ

res, quæ cum ſpecie ſua magnum adferant agris ornamentum, ac potiſſimum hortis, tum vtilitatem eximiam habent, & amœniſſimam iucunditatem. Secundæ menſæ olim erant pomorum. Vtinam etiam hodiè, abeſſent bellaria illa, quæ gulam non debellant, ſed irritant.

Additamentum.

VARRO libro 1. de re Ruſtica capite 3. Agriculturam, ita definit. Agricultura eſt ſcientia docens quæ ſint in quoque agro ſerenda ac facienda, vt quæque terra maximos perpetuò reddat fructus. Laborioſum quidem eſt vitæ genus, ſed vt ait ille hoſpes Athenienſis apud Platonem lib. 7. de Legibus agrorum colendorum labor ſeruis relinquatur qui fructus ex agris reddant, qui ſatis eſſe queant hominibus moderatè viuentibus. Virgilius lib. 2. Georg.

Agricola incuruo terram dimouit aratro.
Hinc anni labor, hinc patriam paruoſque penates
Suſtinet, hinc armenta boum meritoſque iuuencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Prouentuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.

Huc ſpectant quæcunque dici poſſunt de Agriculturæ laudibus, de quibus Xenophon in Oeconomico, Ariſtoteles lib. 1. cap. 2. Oeconomicorum, Cicero de ſenectute, & in fine lib. 1. Offic. Cato de re Ruſtic. Sapientiæ non exigua pars ad Agriculturam pertinet, inquit Libanus, Et Columella ait eſſe proximam & quaſi conſanguineam ſapientiæ. Vide Virgilium lib. 2. Georg. Horatium lib. Epodon Ode 2. Quin optima ſit acquiſitio per Agricultutam nemo dubitabit, qui ex ea ſola tam multos viuere videt, & neminem ſine ea poſſe viuere.

CAPVT II.

De acquiſitione per pecuariam.

MAgna etiam ad victus neceſſitatem pecuariç vtilitas eſt. A pecoribus nomen habet, ex quorum paſtu alendiq́ue ſtudio cùm alimentum, tùm lucrum eſt. Ita celebris olim, vt in pecoribus ſummæ diuitiæ conſtituerentur. Exercuerunt illam priſci etiam olim Patriarchæ, Reges nonnulli, & qui poſt eos potentes. Paſcendo igitur, & alendo pecori paterfamilias incumbat, qui ſi vel mediocrem diligentiam adhibeat ſummoperè rem familiarem, vt Cato dicebat, augebit. *Cura circa pecus alendum.* Vtiles admodum ſunt inprimis oues, ex quibus, præter carnem, lac, caſeoli, lana, & pelles; earumq́ue ſtercorandis agris plurimum valet fimus. Buculæ ad magnum familiæ ſunt vſum; carne & lacte menſam adiuuant. humanum laborem in agris colendis ipſæ leuant. Habere quoque ſues quicumque paterfamilias debet. Commendat his verbis Varro. *Quis enim fundum colit noſtrum, quin ſues habeat? Et quis non audiuit patres noſtros dicere, ignauum & ſumptuoſum eſſe eum, qui ſuccidiam in carnario ſuſpendit à lanio potiùs emptam, quàm à domeſtico fundo?* Proptereà credo idem lib. 2. ait *à natura hominibus ad educandum datum eſſe hoc pecus.* Præbet ſuilla caro firmiſſimum nutrimentum, & cùm parcè ſumitur, ſalubre corpus reddit. Magno quoque in familia vſui ſunt gallinæ, columbæ, anſeres, apes, animantia alia eiuſmodi, de quorum natura vtilitatéve differere huius non eſt inſtituti, quo Oeconomum noſtrum de rebus ad familiam neceſſarijs dumtaxat commonemus.

Additamentum.

QVam Varro Pecuariam vocat, alij Paſtoritiam appellant. Eſt autem ſecundum illum lib. 2. cap. 1. Scientia pecoris paſcendi, ac ita paſcendi, vt fructus quam poſſint maximi capiantur ex ea. Ibidem de venuſtate, dignitate, & vtilitate eius agit. Et lib. 1. cap. 2. eum agriculturæ præfert, tum natura, quàm tempore & fructu. Idem ſentit Cato ſenior vt eſt apud Columellam lib. 2. cap. 2. de Officijs, & Plinium lib. 18. cap. 5. Interrogatus enim Cato ille, quid maximè in re fa-

re ſamiliari expediret, reſpondit benè paſcere; quid ſecundum, benè ſatis paſcere; quid tertium, benè veſtire; quid quartum, arare. Filij Iacob Patriarchæ in Ægypto interrogati quam artem factitarent, reſponderunt, Paſtores ſumus, ſicut omnes patres noſtri. Sic ab ipſo mundi exordio iuſtus Abel paſtor fuit. Madianitæ apud Hieremiam à parentibus ſuis hoc ſe accepiſſe aſſerunt, ne biberent vinum, vt tentorijs inhabitarent & oues paſcerent. Hoc ſtudium ſectati ſunt Scythæ. Imò veteres hanc arbitrati ſunt libertatem, vt armenta & greges paſcerent. Hinc Dij ipſi paſtores, Apollo & Pan. Reges quoque vt Tullus Hoſtilius Romanorum Rex III. patre ruſtico natus in adoleſcentia oues pauit. Plurimi alij Romæ illuſtres à paſtoribus originem duxerunt. Vnde Iuvenalis Satyra 8.

Maiorum quiſquis primus fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Partes pecuaria conſtituuntur pluſquam octoginta à Varrone lib. 2. c. 7. quæ inde peti poſſunt præter Camelorum in Arabia, Elephanturum in India, aliorum in alijs locis conſiderationem. Nam Varro fines Italiæ non egreditur. Ariſtoteles pecorum curam ad tria reuocat. 1. Conſiderandam ait eſſe pecudum naturam ex eorum inter ſe comparatione & habitâ fructuum indè prouenientium ratione. 2. Perſpecta eſſe debet loci natura; nam pro varietate regionum vel potiora gignuntur, vel vtilius paſcuntur ſtabulantúrve animalia. 3. Vt modus ſpectetur, tempus & numerus; nimirum in parando paſcendóque pecora, in admiſſura, fœtúra, nutrimento, ſanitate, tonſura, mulctu, coagulatione lactis, alijſque ſimilibus. Eſt & aliud genus paſtionis, quod villaticum dicitur à Varrone lib. 3. cap. 3. de re Ruſtica, ſcientia nimirum eorum animalium, quæ in villa circaue eam ali aut paſci poſſunt, ita vt Domino ſint fructui & oblectationi. Hinc tantus aliquando fructus redit, vt agriculturam ſuperet. Refert enim Varro lib. 3. cap. 2. Vnum Ornithonem in ſabinis anno quodam ſexaginta millia ſeſtertium, hoc eſt, mille & quingentos aureos reddidiſſe. Nonnunquam tamen euenit, vt fructus ſumptum vix æquet. Ab eodem Varrone lib. 3. cap. 3. tres huius ſpecies conſtituuntur. Primò Ornithones, qui ſpectant omnium alitum genera; vt pauones, anſeres, anates, turtures, turdi, &c. Secundò leporaria, quæ ſepta continent villæ affixa; quibus animalia includuntur, vt paſcantur, v. g. lepores, capræ, apes, &c. Tertiò piſcinæ, in quibus piſces omnis generis aluntur, de quibus ipſe Varro fuſius. Seneca lib. 4. de Beneficijs cap. 3. loquens de animalibus, quæ natura in gratiam hominis produxit, Vix aliquod eorum, inquit, ſine humido aut ſicco, ſolidóve innaſcentia, ſiue per ſublime dimiſſa conſideraueris, reperies, quod non tributum aliquod nobis conferat.

CAPVT III.

De Acquiſitione per venationem, aucupium, piſcationem.

natura eſt venatio.

MOdus item acquirendi eſt per venationem, quæ in feris inueſtigandis eſt occupata. Arbitrati olim ſunt Pythagorei crudele & inhumanum eſſe belluam aliquam occidere, eiuſque carnes deuorare. At illorum ea fuerit ſuperſtitio. Cùm autem ad hominis vſum omnia condiderit prouidus ille vniuerſi Rector, nihil hic ſæuitiæ eſt, vbi ſuo iure vtitur homo. Hinc Ariſtoteles lib 1. Polit. *Homini*, inquit, *naturaliter conceſſus eſt dominatus in belluas, ideoque eas venando capere poteſt.* Et Cicero lib. 3. de natura Deorum; *Iam verò*, ait, *immanes feras & belluas nanciſcimur venando, vt & veſcamur his, & exerceamur in venando ad ſimilitudinem diſciplinæ bellicæ.* Illa homini in belluas poteſtas Geneſis cap. 1. eſt conceſſa ſanè ampliſſima. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã. & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſis.* Cuius imperijs exercitatio in venetione conſiſtit. Eam fructum fundi eſſe perhibent Iuriſconſulti, cuius voluptate ita cùm olim, tùm hodiè Principes & Nobiles capiuntur, vt eorum propria eſſe videatur. Multi priſcâ ætate ſibi victum hoc ſolo prædarum agendarũ exercitio comparabant. Et Iſaacus Patriarcha priuſquam è vita excederet ferinam guſtare carnem deſiderauit. Laborarent profectò Nobilium Domus & Aulæ, niſi aliquem è venatione prouentum ha-

tum haberent. Noſter igitur Oeconomus etiam venationi operam det, & hoc acquirendi modo, quantùm Principum inſtituta permittunt, familiæ ſuæ per ſe quandoque, ſæpiùs per ſuos, conſulat. Per aucupium aues capiuntur, & ex ijs victus quæritur, aut certè iuuatur. Per piſcationem indagantur & intercipiuntur piſces ad vitam etiam tolerandam. Hæc hamis fit, retibus, fuſcinis, & eiuſmodi inſtrumentis alijs, vel interdiu, vel ad ignis lumen noctu. Locorum commoditas ad flumina, maria paludes homines ad hoc vitæ genus inuitat. Prudens paterfamilias ſua viuaria ſeu piſcinas habeat, vndè non exiguus illi prouentus certo anni tempore, & magna in familiam vtilitas redundet. Quamquam hæc perſequi accuratius noſtrum eſſe putamus.

De aucupio & piſcatione.

Additamentum.

PEr hæc tria modum etiam acquirendi neceſſaria in familia eſſe oſtendimus. Quippè omnia animalia, quæ terra, mari, cœlove capiuntur, id eſt feræ beſtiæ volucres, & piſces capientium fiunt, vt conſtat ex l. 1. §. vlt. de acquirendo rerum dominio. Dictat enim naturalis ratio, hominem, qui multis indiget, propellendis quibuslibet neceſſitatibus hiſce naturæ donis liberi vti, & manu à benigniſſima nutrice oblata apprehendere poſſe. Et hoc quidem capiendi ius tam latè patet, vt feræ etiam in alieno fundo captæ capientibus cedant. L. Quod enim 3. ff. de acquir. rer. dom. §. feræ. Quia magis aere, qui communis eſt, quàm terra contineri videntur. Vndè ne quæ in ſyluis noſtris circumſeptis vagantur, à nobis poſſidentur 1. poſſideri. 3. §. item feras 9. ff. de acq. poſſeſſ. Etſi poſſit Dominus aditu ſui fundi alios prohibere. Et Plato duas ſpecies piſcationis conſtituit in Sophiſta. Vna eſt Venatio per ſepta, cum laqueis, naſſa, retibus, verriculis, & ſimilibus piſces capiuntur. Altera percutiens, quæ hamis, fuſcinis, aut quauis percuſſione piſcantur. Et hæc rurſus vel ignita eſt, quæ nocte ad ignis lumen efficitur; vel intorta à forma fuſitnæ & hami, quibus vtitur, præſertim interdiu. Hanc autem vitam ſæpenumerò homines à loci commoditate accipiunt, vt qui paludes, flumina, maria accipiunt. Ariſtoteles 1. Polit. à locis diuiſionem ſumit, quod vel in lacu, vel in palude, vel in fluuio, vel in mari piſces capiantur. De modis venandi, aucupandi, piſcandi ſunt qui ſcripſerunt; ad hoc Oeconomicum inſtitutum ſatis eſt intelligere, per eos modos familiæ de neceſſarijs prouideri, vt hic oſtendimus. Vide Plutarchum in libello Vtra animantia plus rationis habeant, terreſtriáne an aquatilia.

CAPVT IV.

De acquiſitione per prædatoriam.

PRædatoria capi nonnunquam pro quauis captura vel auium, vel piſcium, vel animantium aliorum, & rerum etiam anima carentium ſolet. Aliàs pro iniuſta ac violenta rerum ablatione ſeu rapina, quæ nihil aliud eſt, quàm latrocinium. Prior illa venationem, aucupium, & piſcationem complectitur; naturalis proindè & licita. Poſterior cùm vim habeat & iniuriam adferat, permitti vſurparive non poteſt. Quod ſi belli tempore prædæ agantur, tum eæ iuſtæ ſunt, cùm iuſtum eſt bellum; iniuſtæ cùm iniuſtùm. Pacis tempore iuſta eſſe præda nulla poteſt, quemadmodum nec licitum vllum eſt latrocinium. Nonnulli equidem olim præda & rapto vixerunt; ſed ipſa eiuſmodi latrones antiquitas condemnauit, probare Chriſtianorum mores non poſſunt. Iam opprobrij nota eſt illud Poëtæ, *viuitur ex rapto.* Imò etiam olim fuit, & qui prædis claruerunt, ignominiæ ſibi notam, non gloriæ inuſſerunt. Infames latrocinijs Arabes & Tartari, vt olim, ita nunc ſunt. Adeò naturæ Iuſtitiæque contraria prædatoria eſt, quæ conuictum ſocietatemque tollit, quæ legem præſcriptumque naturæ nobis ingeneratum (vt nimirum homo homini conſultum velit) violat ac delet, quę prima omnis ſocietatis humanæ fundamenta, *Neminem lædere, ius ſuum cuique tribuere, bene viuere,* plane euertit; Vide Ciceronem lib 5. Off. Prædatoriam igitur eiuſmodi noſter Oeconomus ſeu paterfamilias nequaquam velit, amet, aut ſequatur,

Diuiſio prædatoriæ.

Quæ licita & quæ illicita.

Addita-

Digitized by Google

TITVLVS III.

De Artificiali acquirendi ratione.

CAPVT PRIMVM.

Quid & quotuplex artificialis acquirendi ratio.

ARtificialis acquirendi ratio eſt, quæ hominum ſtudio inuenta ex arte aliqua victum quærit. Ea naturali non aduerſatur, ſed ſuppetias ei fert, & inopiæ ſuccurrit, modo intrà fines certos iuſtoſque ſit. Quanquam inſatiabilis ferè ſemper eſt, & naturam paucis contentam eſſe non ſinit. Quippè vt Ouidius lib. 1 Faſt. *Quid ſit.*

Creuerunt & opes, & opum furioſa libido.
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.

Diuiditur in nummulariam & vitam ſecundum artes. Nummularia eſt, quę lucrum ſibi ex commutatione per nummum facta quærit, emptioneque & venditione rerum ad vitam degendam neceſſariarum pecuniam ac diuitias parat. Sic dicta quod nummi beneficio rerum fiant ad lucrum commutationes. Dici etiam pecuniaria poteſt. Illam ij potiſſimùm exercent, qui mercaturę dediti ſunt, & res arte factas alijs vendunt, vt diteſcant. Vita ſecundùm artes eſt, quæ artium mechanicarum opera & exercitio victum ſibi ac lucrũ parare contendit. Eiuſmodi eſt vita artificum, fabrorum, lanariorum, ærariorum, & id genus aliorum, qui arte ſuâ quædam efficiunt opera, ex quibus emolumentum conſequuntur. Vtraque præter naturam eſſe dicitur, quod rebus ad finem à natura conſtitutum non vtatur, ſed ad lucrum commutatione aliquâ vel venditione parandum. Sic calceum ſutor conficit, non vt eo vtatur, ſed alteri vendat pecuniamque recipiat. *Diuiſio in nummulariam.* *Et vitam ſecundum artes.*

Cæterùm ſicut vitarum, ita poſſeſſionum quoque duo ſunt genera. Quædam enim ſecundùm naturam ſunt, vt eæ, quę ab agris & animantibus manſuetis vel feris proueniunt: quædam præter naturam, vt quæ ex artium operibus exiſtunt, veluti pecunia. Priores illæ neceſſariæ ſunt, quod ſine ijs, tranſigi commodè vita non poſſit, vtpotè ex quibus alimenta parantur, panis carnes, piſces, hortorum & arborum fructus. Poſteriores non item, quippè ad vitam nummulariam pertinent; vtiles tamen ſunt. *Diuiſio poſſeſſionum.*

Additamentum.

EA hîc traditur per Nummulariam, & Artes mechanicas. Hæc autem ratio acquirendi non aduerſatur naturali, ſed ei ſuppetias fert, & inopiæ ſuccurrit. Id addendum tantùm, Regimen patrisfamilias domeſticum & rationem acquirendi ab imperio publico dependere & ſuſtentari. Nam apud Platonem ea ciuitas benè ordinata dicitur, in qua quiſque neſcit proprios affectus, & vtilitati publicæ operari potiſſimùm cupit. Cùm bonum publicum id omnibus ciuibus præſtare videatur, quod cerebrum neruis, iecur venis, cor arterijs, non immeritò regula & cauſa actionum eſſe debet. Et ex hoc fonte publicæ poteſtatis procedunt prohibitiones quorundam mercimoniorum & monopoliorum, aliorumque ſimilium, atque etiam artium quarundam. Cùm enim Magiſtratus primario ſalutem ciuitatis procuret, iure meritò ciuium actiones informat, vt aiunt Iuriſconſulti. Et quamuis eiuſmodi prohibitiones reſpectu priuatorum iniuſtæ videantur, dum lucrum facere pro libertate non poſſint, ea tamen iniquitas contra ſingulos publicâ vtilitate facilè rependitur.

CAPVT II.

Quatuor ſpecies rationum acquirendi præter naturam.

RAtionum acquirendi præter naturam quatuor à Philoſopho ſpecies ſeu partes numerantur. Prima eſt mercatura, per quam pecuniaria *Mercatura.*

res rerum venalium commutatione mercatuque augetur. Ea vel nauigatione inſtituitur, per maria fluminaque merces deferendo; vel deuectione, merces per terram equis aut curribus deportando; vel negotiatione, quæ in vendendo, emendo, commutando conſiſtit. Ac tribus his mercaturæ modis cæteri omnes comprehenduntur. Secunda eſt fœneratio ſeu vſura, cùm quis pecuniam ſuam fœnore aliquo ſeu vſurâ amplificat Eam Ariſtoteles damnat, quod contrà naturæ inſtitutum ſit ac legem, dum nummus nummum parit. Tertia eſt mercenaria, quâ quis alteri operam ſuam locat, vt mercedem ſeu lucrum aſſequatur. Id verò fit, vel per artem aliquam vtilem & illiberalem, puta cerdonicam, calceariam, macellariam, & id genus; vel per miniſterium tantùm corporis, quale ij præſtant, qui corporis viribus freti ligna deferunt, aut aquam, aut aliud aliquid eiuſmodi. Quarta eſt ratio acquirendi ex ijs, quæ à terra ſunt, & è terra gignuntur; quæ quanquam fructum non ferant, vtilitatem tamen adferunt. Eiuſmodi ſunt ſylua cædua, & metallica. Quippè ex lignis in vſum humanum paratis colligi lucrum ſolet; ea verò cædua præſta ſylua cæſis arboribus. Eruuntur etiam ex terræ viſceribus metalla, & ex fodinis lapides. Eorum omnium venditione varioque vſu pecunia ac lucrum comparatur. Ad nummulariam hæ omnes ſpectant ſpecies.

Fœneratio

Mercenaria.

Ratio acquirendi ex ijs quæ è terra ſunt.

Additamentum.

EÆ ſunt mercatura, fœneratio, mercenaria, & ex ijs, quæ è terra ſunt. De his ſingulis agitur ſeparatis poſteà capitibus. Videndum hoc tantùm, vt cùm natura paucis ſit contenta, ne inſatiabilis fiat cupiditas. Horatius Satyra 1.

—— *Bona pars hominum decepta cupidine falſo.*

Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti quantum habeas, ſis. Etſi anteà dixiſſet,

—— *Quid habet pulchri conſtructus aceruus? Non tuus hic capiet venter plus quàm meus.*

CAPVT III.

An commutatio ſit naturalis, & quæ eius cauſa.

Triplex commutatio.

TRibus inſtitui modis commutatio omnis poteſt. Vno vt rerum ſit cum rebus, altero rerum cum pecunijs, tertio pecuniarum cum pecunijs Prima illa quæ rerum eſt cum rebus, vt vini cum oleo, neceſſaria omninò eſt, naturalis, & legitima. Per eam quippè neceſſitati humanæ ſuccurritur, & ipſius quodammodò naturæ manu fit. Altera quæ rerum eſt cum pecunijs initium à natura habet, perfectionem ab arte, legitima omninò, & propter naturæ neceſſitatem vtilis. Eſt & facillima, cùm per eam nullo negotio commutandæ res menſurentur, Tertia quæ pecuniarum eſt cum pecunijs, contra naturam eſt, nec tolerari, ſi Philoſophum audimus, in Repub. debet. Eius finis eſt turpiſſimus quæſtus & lucrum; nec pecuniæ vſum quærit, ſed augmentum pecuniarum iſta nundinatio ſordida eſt; ſuperflua ſectatur, non neceſſaria.

Cauſa commutationis.

Prima commutationis omnis cauſa eſt indigentia. Hæc enim ad commutandum primò homines impulit, leges deindè permiſerunt, & modum præſcripſerunt. Notum eſt illud. *Non omnis fert omnia tellus*; in hac regione vinum eſt, in alia frumentum; vtriuſque incolæ vinum frumentumque permutant. Et quoniam ea plerumque locorum longinquitas eſt, vt transferri commodè magni ponderis res non poſſint, computatio nummis abſoluitur, qui vel idcircò inuenti. Naturæ hæc vox eſt, vt aliundè petas, quid tibi deeſt. Eadem indigentia contractuum eſt cauſa, quos certâ fide ſanciunt diuerſarum regionum homines, vt neceſſitatibus ſuis conſulant, tradendo inuicem accipiendoque, quæ ſuperſunt, aut deſunt.

Quæſtiuncula.

At quæret quiſpiam, *An illa rerum cum rebus permutatio in vſu adhuc ſit?* Ante Hiſpanorum in Indias aduentum res cum rebus permutabantur, ignoto

ignoto tunc nummo. Idem adhuc mos in Æthiopiâ meridionali & Seuega eſt, teſte Aloyſio Teneto. Obſeruatur & in ſeptentrionalibus quibuſdam regionibus, vt Olaus Magnus refert lib. 4. & 6. Indus quidam, vt author eſt Hieron. Benzonius lib. 1 Hiſt. noui orbis, cùm pullum gallinaceum haberet, proque eo Chriſtianus quiſpiam argenteum nummum offerret, accepit ille, & dentibus ſubdidit. Ijs cùm nequaquam cederet, Cape, inquit, Chriſtiane, nummum tuum, & ſi pullo meo indiges, da aliquid, quo indigeam.

Additamentum.

EXplicantur hic modi commutationis inſtituendæ, cauſaque additur, quæ indigentia potiſſimùm eſt. Commutatio olim fiebat, cùm res rebus nullo intercedente medio permutabantur. Homines enim olim propter neceſſitatem ea quibus abundabant, cum ijs, quibus egebant, commutabant. Quâ de re Ariſtoteles 1. Politicorum c. 6. Hinc Plinius lib. 33. c. 1. ſcribit incognitum fuiſſe nummum Troianis temporibus, nititurque Homeri authoritate, qui alios corijs, alios ferro, alios captiuis rebus vinum emiſſe tradit, Quanquam & ipſe Plinius lib. 7. cap. 56. emptionis & venditionis inuentum libero Patri tribuit, qui multo tempore Troiana bella anteceſſit. Theſeus etiam illo Troiano bello antiquior nummũ bouis imagine percuſſiſſe author eſt Plutarchus. Et Ioſephus ante Bacchi tempora Madianitis mercatoribus triginta argenteis venditus fuit, vt habetur geneſis cap. 39. Et Abrahamus, vt eſt Geneſis c. 23. Saræ vxoris ſepulturam quadringentis argenteis redemit. Et quidem ab initio nummi pretium mole & pondere erat definitum; poſtea character eſt additus, qui labore penſandi mercantes leuaret. Vndè fit, vt nummi nihil valeant, niſi approbatio accedat, & conſenſus populorũ. Ex hac permutatione ex pediriore cùm eſſet obſeruatum fieri lucrum, paulatim ex frequenti vſu, regulę factę ſunt ex quibus intelligeretur, quâ ratione plùs minusve lucri aut damni ſequeretur. Quæcunque igitur permutatio nummo æſtimatur huc pertinet, ſeu venditio, ſeu emptio, ſeu locatio, aut conductio aliæve huiuſmodi. Huc referri poſſunt, quæ in Moralibus de iuſtitia cõmutatiua diximus.

CAPVT IV.

De Mercatura.

MErcatura eſt nummularia permutatio, quæ vendendo emendoque neceſſaria familiæ comparat. Eam in nauicularíam, onerariam, & inſtitoriam diuidunt. Nauicularia eſt, quâ nauibus merces transferuntur. Oneraria, quæ iumentis aut vehiculis terreſtri itinere exercetur. Inſtitoria, per quam eodem in loco, ſed aucto pretio merces emuntur venduntúrq;. Mercatura in hominum ſocietate omninò neceſſaria eſt. Sed in ea hæc ſit quæſtus cupiditas, vt tantùm quæ deſunt ciuitati ſuppeditet, ſuperflua, quæque mores corrumpunt, non inuehat, Quæ tenuis eſt, ſordida putatur, vt ait Cicero lib. 3. Off. quæ autem magna & copioſa, multa vndique apportans, non eſt vituperanda. Laudatiſſimas ea eſt, quæ mediocri lucro contenta eſt. Nauicularia propter regionum longinquitatem vtilis & commoda eſt, quemadmodum & oneraria. Inſtitoria, quam alij tabernariam, & cauponariam vocant, ſordida à Marco Tullio exiſtimatur, quod eam crebro mendacio exerceant, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant. Ea verò turpiſſima eſt vanitas. Sed de mercatura lib. 2. Politicorum noſtrorum diximus.

Quid ſit. Species eius.

Qua probanda.

Additamentum.

SVnt, qui mercaturam, tanquam turpem acquirendi rationem damnant, quod in ea multi potiorem lucri, quàm pietatis rationem habeant, & fructum ex periurio capere ſatagent. Hinc ab aliquibus mercatura definitur meditario doli, & mendacij tritura. Et Iuriſconſultus Paulus dicebat olim mercatores ad lucrum turpiter faciendũ pronos eſſe. Demoſthenes quoque muſculi loco eſſe voluit, ſi idem mercator induſtrius eſſet, & vir probus. Imo D. Chryſoſtomus homilia 38. ad cap. 21. Matthæi negat mercatorem propter mendacia, periuria, fraudes, Deo placere poſſe. Plato quoque Ariſtoteles & alij Philoſophi mercaturam virtutibus ini-

micam ſtatuerunt. Plura adſerri in hanc rem poſſent, ſed illa de hominibus improbis, non de mercatura iuſtis regulis conſiſtente ſunt intelligenda. Neque enim de natura mercatoriæ eſt mentiri, dolis decipere, rem vitioſam pro integra, & quæ minoris eſt, maximi vendere, ſed hæc hominum ſunt vitia. Nam, vt ait Auguſtinus diſtinctione 89. cap. Quoniam ſi iniuſtis rationibus lucrum quæratur, id peccatum hominis, non rei aut artis eſt. Fatendum eſt mercaturam benè maleque exerceri poſſe. Malè exercet qui proximum dolo circumuenit, vt commodum ſentiat; benè exercet, qui rem iuſto pretio vendit & honeſtè lucratur. Æquum enim eſt mercatorem pro cura & induſtria, quam publico bono impendit commodũ aliquod ſentire; nec ſolum ratione laboris, ſed etiam periculi & damni, quod in ipſa negotiatione perpeſſus eſt. Quam ob cauſam Calliſtratus ſentiebat negotiatores, qui publicis adiuuant, ob pericula remunerandos eſſe, & præmijs inuitandos. Eos tanto fauore Hiſpani complectuntur, qui frumentũ adferunt, vt nemo ex iudicum miniſtris eum capere auſus ſit, qui ſe triticum apportare dicat, quare cum licita ſit mercatura, Paterfamilias mercaturam exercere deſiderans iuſto pretio rem vendet, ſicque ſibi & rei familiari conſultet, nec illud Plauti in Moſtellaria in ore habebit.

Lucri quidquid eſt, id domum trahere oportet;
Miſericordiam habere haud hominem oportet.

CAPVT V.

De fœneratione ſeu vſura.

Quid ſit. FOeneratio ſeu vſura eſt, quæ ex nummo quæſtum quærit. Seu eſt illegitimus quæſtus ex rebus, quæ à ſuis vſibus non ſeparantur. Hanc contra naturam magis eſſe Romanus Orator vult lib. 3. Off. quàm mortem, paupertatem, aut dolorem, quod homo ex hominis incommodo commodum ſuum augeat. Ariſtoteles eam damnat ac reijcit. *An probanda.* Atque inprimis nummi finem immutat, qui non ad quæſtum, ſed ad faciliorem permutationem eſt inuentus. Deindè quod indè lucrum captet, capi vndè naturaliter non poteſt. Ac tùm quod vſum vendat, & ex nummo nummum producat, quod ait eſſe monſtroſum. Sed de vſura diximus etiam lib. 3. Politicorum. Vtiles ſanè Reip. ſunt Argentarij, Trapheſitæ, ſeu Menſarij, vt appellant, vel nummularij, qui teſſeris quibuſdam Collybiſticis, (quas litteras Cambij vulgò vocant) in remotioribus locis eam numerari pecuniam curant, quam hic recipiunt, detracto ſuo collybo.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 1. Politic. cap. 7. propter rationes hic allegatas vſuram damnat. Eandem implorabant Theologi, Iuriſconſulti, Politici, quod fœneratores ſuum commodum augeant aliorũ incommodis. Verum non omne fœnus damnandum eſt, ſed illud, quod ab Hebræis morſus dicitur, quodque debitorum opes non tantùm concedit, ſed & oſſa alterat medullamque exurit. Æquum enim videtur, vt ex pecunia conceſſa rebuſque alijs vſus nomine aliquid ad creditorem redeat, vt ex domus prędij alteriuſve rei locatione. Eſt enim pecunia inſtrumentum, cuius ex vſu ad vtentem pertinet vtilitas. Exigit etiam gratitudinis officium, vt beneficium compenſetur. Quippè imitari agros fertiles debemus in referenda gratia, qui plùs multò adferunt, quam acceperunt. Etenim ſi eos, quos ſperamus nobis profuturos non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt, vt rectè Cicero lib. 1. de officijs. Et ſi debitor ex pecunia rem ſuam familiarem adauget, non erit à ratione alienum, ſi creditorem aliqua lucri particula aſpergat. Huic Principes certis legibus fœnus permittunt; & hinc quoque Cambia in rebus publicis inſtituũtur certâ conditione. Et certè æquum eſt non gratis cõcedere pecuniam, quia omni intereſt, ſi modò induſtrij patresfamilias ſint, pecunia ſua per aliquod tempus caruiſſe, cum is qui mutuam accepit pecuniam multum lucrari poſſit. Debet quidem Chriſtianus pecuniam mutuo dare amico affectu, nec ſtipulatione vſurarũ quenquam arrodere; ſed aliquam etiam ſperare vtilitatem poteſt, modò abſit illa proximi arroſio & oppreſſio, idque fiat iuxta Principum leges.

CAPVT

CAPVT VI.

De Mecenaria.

Quid ſit

Quæ diuiſio.

Qui Mercenarij.

MErcenaria eſt Nummularia, quâ quiſpiam operam ſuam certâ mercede locat. Ea, pro ratione rerum; quæ elocantur, diuidi ſolet. Quædam enim eſt operarum, quæ artis alicuius ſunt. Sic cerdonum, fabrorum, textorum, & ſimilium, opificum miniſtri, & quandoque ipſi opifices operam ſuam in dies ſingulos locant, & artem interim exercent. Quædam verò eſt operarum omnis artis expertium. Sic baiulatores, foſſores, lignatores, ſcoparij, ianitores, balneatores, & id genus homines operam ſuam certo in diem nummo alteri locant, & ſolo corporis miniſterio nullâ arte præſtant. Hinc Plato lib. 3, de Repub. mercenarios eos appellat, qui vſum roboris corporum ſuorum vendunt. Vel, vt ait Cic. lib. 1. Off. quorum operæ, non artes emuntur. Dignus autem mercenarius mercede ſuâ. Varias vulgò diſtributiones non ſector.

Additamentum.

VNa etiam acquirendi ratio eſt per Mercenariam, dum ij, qui alio modo proſpicere familiæ ſuæ non poſſunt, operam ſuam alteri locant, vt lucrum faciant. De his Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 7. vbi pro ratione rerum, quę elocari ſolent, Mercenariam diuidit, vt vna ſit artium operariarum, dum aliqui ſuas artes alteri locant, & ijs ad eius commodum aliquid efficiunt. Altera operarum artis expertium, quę ſolo corpore exercentur; dum nimirum aliqui, qui nullam artem callent, ſolo robore & labore corporis ſui lucrum faciunt, & aliquid ſibi acquirunt. Plato in rep. ſua lib. 3. ſextum locum Mercenarijs tribuit.

CAPVT VII.

Quis verus ſit diuitiarum modus?

Modus eſt pro neceſſitate & honeſtate.

HActenus de diuerſis acquirendi rationibus; nunc de verò diuitiarum modo dicendum. Modum hunc Seneca de tranquillitate animi cap. 8. definit. *Optimus*, inquit, *pecuniæ modus, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate diſcedit*, Apertius idem in Epiſt. *Quis ſit pecuniarum modus quæris; primus habere quod neceſſe eſt; proximus; quod ſatis eſt. Prior reſpicit id, quod natura requirit; poſterior, quod humanitas, & vt commodè viuere poſſis.* En modus. Nec aliud Plato vult, qui tantas ait comparandas eſſe opes. *vt nec inſidijs exponare; nec rurſum neceſſarijs deſtituare.* Itaque rectè Apuleus, *fortunam* inquit, *vt tunicam concinnam, magis quàm longam, probo.* Quis veſtem corpore longiorem velit, niſi vt incommodum præſtet; Nec rem familarem maiorem optare oportet, quàm vſus & neceſſitas poſtulet. Fateor multa requirit vita hæc noſtra, placebit tamen modus, ſi parſimonia placeat, *ſine qua*, vt ait Seneca de tranq. cap. 9. *Nec vllæ opes ſufficient, nec vllæ non ſatis patent, præſertim cùm in vicino remedium ſit, vt poſſit ipſa paupertas in diuitias ſe aduocata frugalitate conuertere.* Quid times? *parua ſeges ſatis eſt*, inquit Tibullus. *Panem & aquam* ait Seneca, *natura deſiderat; nemo ad hæc pauper eſt, intrà quæ quiſquis deſiderium ſuum cluſit, cum ipſo Ioue de felicitate contendere poteſt.* Adeò modus diuitiarum, modus deſiderij noſtri eſt, hoc ſi cohibemus paucis contenti,

diuites ſumus. Proindè verè Epicurus apud Stobæum. *Si vis aliquem diuitem reddere, non eſt quod adijcias opes, ſed minue potiùs illi cupiditates.* Quod ſi magnæ cuipiam à parentibus relictę ſint opes, non vt abijciat author ſum, ſed vt poſſideat, non ab illis poſſideatur; ſub ſuo imperio habeat, non ſub earum ſit ſeruitio. Sit liberalis, opem egentibus ferat, diues quã plurimos efficiat, vt habeat amicos. *Diuitiæ* ait Sen. lib. de beata vita cap. 26. *apud ſapientem in ſeruitio ſunt, apud ſtultum in imperio.* Multi titulo Reges ſunt, ſed animo pecuniæ mancipia: multi diuitias habent, ſed ſicut febrem habere dicimur, cùm illa nos habeat. Quippè teſte Plinio, *ea inuaſit homines habendi cupido, vt poſſideri magis, quàm poſſidere videantur.* Diuitijs itaque vtendum eſt ad neceſſitatem; & hoc eſt poſſidere, non poſſideri. Plura poſteà de vſu, etiam hac de re in Moralibus noſtris dictum.

Additamentum.

MOdus diuitiarum eſt pro neceſſitate & honeſtate. Cogimur neceſſitatibus vitæ noſtræ mederi, nec quicquam negari naturæ poteſt, cùmque contumaciter ſuum poſcat, nemo eam vincet. Seneca Epiſt. 119. Si eſurias, inquit, edendum; ſi ſitias, bibendum eſt. Et Horatius lib. 1. Satyra 1.

Panis ematur, olus, vini ſeptarius, adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Hæc & ſimilia Plautus ventris ſtabilimenta appellat. Eadem ratio conſtituenda eſt eorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt præter victum, vt ſunt veſtitus, habitatio, inſtrumenta domeſtica, &c. Apoſtolus Epiſtola ad Tymotheum cap. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et vt Horatius ait lib. 1. Epiſtola 12.

Si ventri benè, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Quo reſpexit Epicurus, teſte Seneca Epiſt. 27. Dum diuitias compoſitam ad legem naturæ paupertatem definit. Simplici enim curâ neceſſaria conſtant, in delitias laboramus. Sequi oporteret naturam, quæ ad quæcunque nos cogebat, inſtruxit. Expedita eſt tutela corporis contra frigus, expedita habitatio; ratio victus ante oculos & in aperto poſita. Plura eo in loco Seneca. Certè natura nihil præter vſum corporis & ſuſtentationem vitæ exigit; non prouocandam eſſe famem aut ſitim, ſed ſedandã; non farciendum eſſe corpus, ſed implendum cenſet. Et parum curat, cum fauces ſitis vrit, aureis an ligneis poculis vinum adferatur. Nec referre arbitratur, quàm eleganti & doctâ manu miniſtretur. Vndè rectè Horatius enim, qui hæc ad ſe pertinere iudicet, non ſitire credit. Naturale deſideriũ faſtidium excludit, ſuperuacua tantum & luxurioſa delectum recipiunt. Oportet igitur, neceſſitates familiæ non ex vitioſi alicuius & luxui deditі ſententia æſtimare, ſed ex naturalibus deſiderijs & veris; illeque abunde opibus inſtructus cenſendus eſt, cui rerum vſus ſuppetit; & nihil ad frugalis vitæ rationẽ deeſſe videtur.

CAPVT VIII.

Ingentes quorumdam opes.

Exempla diuitum. PLinius lib. 33. cap. 10. *Quæ malum*, inquit, *amentia eſt, id in vita cupere, quod aut etiam ſeruis contigerit, aut ne in regibus quidem inuenerit finem?* Romanorum poſt Syllam ditiſſimus fuit M. Craſſus, qui locupletem negabat eſſe quemquàm, niſi qui reditu annuo legionem poſſet tueri. In agris ſuis ſeſtertium xx. millia poſſidebat, vt ibidem Plinius refert. Quid verò? Extiterunt ſerui longè illo opulentiores, Pallas, Calliſtus, & Narciſſus, ſub Claudij Imperatoris principatu. Videri portentum quoddam diuitiarum poteſt C. Cæcilius Iſidorus, qui moriens reliquit quatuor millia ſeruorum & centum ſexdecim; iuga boum ter mille ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia; in numerato H. S. DC. M. Funerari ſe iuſſit ſeſtertijs XI. M. Ptolomeus, vt tradit Varro, referente Plinio cùm Pompeius bellum in Iudæa gereret, octo equitum millia ſuâ pecuniâ tolerauit; mille conuiuas vno epulo habuit, & quoties fercula mutabantur, toties noui ex auro cyathi conuiuis tradebantur. Pythius Bithynus platanum auream vitemque nobilem Dario Regi donauit; Xerxis copias ſeu ſepties centum octoginta millia hominum epulo excepit,

ſtipendium quinque menſium frumentumque pollicitus, vt è quinque liberis ſenectuti ſuæ in delectu vnus ſaltem concederetur. Hic ſi Crœſo Regi comparetur, adhuc cedet. Pallas ſeruus quondam Neronis ac poſteà libertate donatus, teſte Cornelio Tacito, tria millia ſeſtertium, ſeu ſeptem milliones & quingenta aureorum millia poſſedit. Quis eiuſmodi vel auſus ſit optare opes? Humana cupiditas terminum non habet, inſatiabilis eſt. cùm modum excedit, in præceps fertur, & cùm ſemel exceſſit, nullus ampliùs terminus eſt. Sed nimirum, vt ait Apuleus, *immodicæ diuitiæ veluti ingentia & enormia gubernacula faciliùs mergunt, quàm regunt.* Quanquam de diuitiarum vſu poſtremò videndum eſt.

Additamentum.

HIs addi & alij poſſunt ex hiſtorijs. L. Cornelius Balbus tantas opes poſſedit, vt teſte Dione lib. 48. moriens populo Romano viritim legauerit denarios 25. ſiue aureum Romanum vnum. Æſopus Tragœdus ad tantam opulentiam peruenit, vt ſexcentis ſeſtertijs et patina ſteterit, filiumque reliquerit adeò diuitem, vt is vniones liquefactos cœnis apponeret. De Apicio ita Seneca conſolatione ad Eluiam cap. 10. Cùm ſeſtertium milliés in culinam congeſſiſſet, cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal ſingulis commeſſationibus exſorbuiſſet, ære alieno preſſus tum primum rationes ſuas coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centum computauit, & velut in vltima fame victurus ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finiuit. Senecæ tantæ opes fuerunt, vt Romanorum pæne ditiſſimus ſuâ ætate eſſet. Vnde Publius Suillius apud Tacitum lib. 14. Annalium illi obijcit, Qua Sapientia, quibus Philoſophorum præceptis intra quadriennium Regiæ amicitiæ ter millies ſeſtertium parauiſſet. Iuuenalis Satyra 10.

Et magnos Senecæ prædiuitis hortos.

Synamus tonſor ad tantas opes peruenit, vt patricios omnes diuitijs prouocaret. Imò Romæ quidam Sutores & Cerdones tantas opes habuerunt, vt ludos auderent exhibere. Vnde Martialis lib. 3.

Das gladiatores ſutorum Regule cerdo,
Quodque tibi tribuit ſubula, ſica rapit.
Ebrius es! nec enim faceres id ſobrius vnquam,
Vt velles corio ludere cerdo tuo.

Salutio quidam, teſte Suetonio in Iulio cap. 19. tantas opes parauerat, vt quanquam eſſet probus & flagitijs contaminatus, earum tamen magnitudine Scipionem vnum è familia Africanorum induxerit, vt vellet teſtamentariâ adoptione in familiam eius & nomen ſuccedere. Tacitus lib. 12. Annalium teſtatur Lolliæ Paulinæ, cùm eius publicata eſſent bona, quinquageſies ſeſtertium ex opibus immenſis relictum fuiſſe, dum in exilium extra Italiam abiret. Notiſſimus olim ob diuitias Licinius Libertus fuit, qui tantùm agri poſſediſſe dicitur, quantùm, quàm nullus vno die peruolaret. Hinc Perſius Satyr. 2.

—— Et ſpem macram ſupplice voto,
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.

De eodem Iuuenalis Satyra 14.

TITVLVS IV.

De Vſu Diuitiarum.

CAPVT PRIMVM.

Neceſſarium eſſe diuitiarum vſum, & quibus in rebus cernatur.

FRuſtrà diuitiæ acquiruntur, ſi non rectus earum ſit vſus: fruſtrà domum multa importantur, ſi prudenter non adminiſtrentur. Conſeruare tuerique acquiſita oportet, & ijs cum ratione vti. Adeò etiam hîc. *Neceſſitas vſus.*

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri.

Multi cenſum magnum habent, & reditibus annuis abundat, egent tamen ferè ſemper, & vacua domo laborant, quod rerum partarum prudenti adminiſtratione careant. Hoc eſt pertuſis dolijs haurire, multa

 comparare,

comparare, & comparatis malè vti. Etiam aliquid ſupereſt vbi parum eſt, & rectus eſt vſus; etiam aliquid deeſt, vbi multum eſt, cùm ex ratione vſus non eſt. Nulli grauiore ære alieno tenentur, quàm qui multum poſſident. Vix pauperes debitores ſunt, cuius non alia cauſa eſt, quàm quia pauca rectè adminiſtrant. Nimirum vſus eſt diuitiarum magnarum modus, *Regula.* rectè vti. Vſus verò recti ſunt duæ regulæ. Ac prima quidem neceſſitas, altera decens ornatus. Quippè vt benè hominibus ſit ad vitam ſuſtentandam, datæ ſunt inprimis diuitiæ; tùm vt honeſtè ad vitæ cultum. Neceſſitatis huius & honeſtati fines qui excedunt, in egeſtatem ruunt. Fundum habent diuitiæ, exhoriri poſſunt, quantumuis ingentes, ſi vltra neceſſitatem & *Circa quas res ſit.* honeſtatem perpetuò haurias. Porrò omnis diuitiarum vſus potiſſimùm cernitur circa ædificia, ſupellectilem, conuiuia, veſtem, & id genus res neceſſarias, in quibus quæ tenenda ratio ſit, ordine deinceps declarandum eſt.

Additamentum.

PAtrisfamilias eſt diuitijs partis rectè vti; vtendi regulam dat neceſſitas, & decens ornatus. Ita hic docemus. Reſtè Claudianus.

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit vti.

Atque hęc vna ratio eſt, cur plęrique cùm magnis opibus abundent, egeant tamen, quia nimirum vti neſciunt diuitijs. Cùm magnatum & authoritate publicâ præfulgentium ſit proprium magnificentiæ ſtudium, ijs licet vti opibus ad magnificentiam, modo tamen expenſarum ratio virtute temperetur, & ijſdem cum illa regulis conſtet; ſed aliorum eſt ad ſolam neceſſitatem ſuam attendere. Quod artinet ad ornatum, innumera ſunt in iure loca, quæ alimenta ſecundùm qualitatem & dignitatem perſonarum decernunt. Magnæ opes innocenter partæ & modeſtè habitæ gloriæ eſſe ſolent, vt air Tacitus 4. Annalium. Vlpianus Iuriſconſultus. Non cumulus patrimonij, ait, ſed quod exhibitioni frugaliter ſufficit, modum alimentis dare debet. Egregiè Cyrus apud Xenophontem lib. 8. Ego & Dijs inſeruio, & plura ſemper adipiſcor. Verum vbi eas diuitias comparaui, quas vſum mihi ſufficientem excedere video, his ipſis amicorum penuriæ medeor, & homines ditando, & beneficijs afficiendo beneuolentiam ex ijs, amoremque mihi paro, & gloriæ fructum capio. Vere ille beatus cenſeri debet, qui ad hanc normam diuitijs & facultatibus à Deo conceſſis vtitur; & dum temperanter viuit reique nullius indiget, alijs quoque ſubuenire geſtit. Quæ omnia egregiè complexus eſt Plautus in Milite paucis verbis.

Qui & rem ſeruet, & qui benè habet ſuiſque amicis. Vult benè.

CAPVT II.

De vſu diuitiarum circa ædificia

Lex Lycurgi. NImium ædificandi ſtudium, & prodigioſam priuatarum ædium magnificentiam priſci æui leges prohibuerunt

Apud Spartanos Lycurgi lege conſtitutum fuit, *vt non niſi ſecuri & ſerra domus exſtrueretur; ſumptuoſa atque exquiſita ſic vitaretur ſtructura, modusque vt cunctis in rebus alijs, ita quoque ædificando ſeruaretur.*

Auguſti. Auguſtus Cæſar dixit, *Ne quis ſupra ſeptuaginta pedes ſublimius ædificaret;*

Charonda Charondas Legiſlator *Infames eas iudicandos eſſe cenſuit, qui in ædificijs, extruendis templa, locaque publica alia ſumptibus excederent.*

Teſtimonia. M. Æmilius Porcinus. Valerio teſte lib. 8. à Caſſio accuſatus crimine nimis ſublime extructæ Villæ in Alſienſi arro fuit, & graui multâ populi iudicio affectus. Et Saluſtius corruptæ Romanæ Reip. luxum vel idcircò perſtringit, quod eſſent domus & villæ in vrbium modum ædificatæ. Si Vlpianum audiamus, quod contra leges & edicta Principum ædificatur, nuntiari nouum opus poteſt, quaſi illicitè ædificatum ſit, quod dirui conſtitutiones iubent. Cornelius Nepos Pomponium Atticum laudat, quod nihil in

hil in vita vnquam ædificarit. Eadem apud Plutarchum laus Scipionis eſt Africani. Idem in vita Pauli Æmilij. *Æmilius Tubero*, inquit, *Pauli filiam vxorem habuit vir optimus & in Rep. ſummæ authoritatis, ſed ita tenui patrimonio fuit, vt ſexdecim viri ex eadem Tuberonum familiæ ſimul vnis in ædibus, & modici quidem cum coniugibus ac liberis habitarent.* Ageſilai apud Lacedæmonios domus adeò humilis fuit, vt à priuata haud eſſet diſſimilis, vt refert Alexander ab Alex. Talis etiam Pompei domus fuit ad tertium vſque triumphum. Et vt ait Claudianus.

—— Caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.

Vt igitur aliquid hic ſtatuamus, priuatæ domus ad vſum & commoditatem familiæ deſcriptæ ita eſſe debent, vt nec pars vlla vacua ſit & inutilis, nec pulchritudo deſit. Seruetur verò mediocritas, & illud hic valeat. *Ne quid nimis.* Equidem *Viri dignitas domo ornando eſt*, inquid Cicero, *Non autem ex domo tota quærenda, nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt.* Vnde patrisfamilias ea cura eſſe debet, vt pro modo opulentiæ ſuæ pulchra; habeat ædes, nec pecunijs parcat, modo rem omnem ſuam non exhauriat, & ne Principum magnificentiam imitetur. In priuatis ædificijs laudata ſemper mediocritas eſt. Et verè. *Quid ſentiendum.*

Aureum quiſquis mediocritatem
Dirigit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Vt Horatius ait lib. 2. Carminum. Ode 10. Cicero noſter lib. 1. Off. mediocritatem hanc ſuadet. *In ædificando*, inquit, *ne extra modum ſumptu & magnificentiâ prodeas, quo in genere multum mali eſt: adhibendus eſt modus ad mediocritatemq́; reuocandus, eademq́; mediocritas ad vſum cultumq́; vitæ transferenda eſt.* Multos ædificandi ille furor ad inopiam compulit, qui dum patrimonia ſua profuderunt, omnibus debent, nemini perſoluunt, ne ipſis quidem architectis & operarijs. Ita ſtudio magnificentiæ prolabuntur, domos formoſas habent, vt cum Seneca dicam, ſed alienis nummis paratas.

Additamentum.

Vſus eſt, vt ad commoditatem familiæ ædificia fiant quorum ornatus erit pro modo diuitiarum, ſeruatâ ſemper in priuatis ædificijs mediocritate. Nota eſt veterum Romanorum in caſis ſuis paupertas, ſed quæ virtuti locum & ſedem dabat. Nemo ſapiens, qui non luxum in ædificijs damnarit. Seneca Epiſt. 96. Cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm mendacio gaudemus? Scimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare. Gloriatur Horatius lib. 2. Ode 18.

Non ebur neque aureum mea
Renidet in domo lacunar.

Seneca Conſolatione ad Eluiam cap. 9. Quo maiori mole faſtigia cænationũ ſubuexerunt, hoc plus erit, quo illis cœlum abſcondat. Et lib. 2. Controuerſia. 9. Ædes ipſæ, quas in tantùm extruxere, vt domus ad vſum & munimentum paratę, ſint nunc periculo non præſidio; tanta altitudo ædificiorum eſt, tantęque viarum anguſtię, vt neque aduerſus ignem præſidium, neque ex ruinis vllum in illam partem effugium ſit. Nimium ædificandi ſtudium, quo Romani laborauerunt reprehendit Horatius lib. 2. Od. 15. Item Ode 18. Item lib. 3. od. 1. Iuuenalis Satyra. 14. Seneca lib. 2. contro. 9. Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntuŕque gentium Syluæ. Benè Græcus Poëta.

Ædificare domos, multorum & paſcere ventres,
Pauperem in miſeram prompta frequenſque via eſt.

D. Bernardus Si vis, inquit, ædificare domum tuam, inducat te neceſſitas, non voluptas, cupiditas ædificandi non tollitur ædificando, ſed augetur. Nimia & inordinata ædificandi auiditas parit & expectat ædificiorum venditionem. Turris enim completa & arca euacuata faciunt hominem tardè ſapientem. Verùm tamen id curandum eſt patrifamilias, vt priuata domus deſcripta ſit ad commoditatem familiæ, nec ſordes ſint, nec pars vacua & inutilis, & aſpectus ad decorum ſit.

CAPVT III.

De vſu diuitiarum circa ſupellectilem.

Neceſſaria ſupellex.

COpioſa variaque ſupellectili multi delectantur, dum nimirum auri argentique magnam vim, aurea, argenteaque vaſa, pictas tabulas, aulça tapeteſque poſſident. Fateor neceſſaria eſt ſupellex aliqua, quæ familiæ vſibus ſeruiat, ac domum etiam exornet, ſed hic quoque prodiga hominum cupiditas peccat, & diuitijs per omnes angulo diſſipatis; ſupellectilem non neceſſariam adornat. Multæ domus templorum inſtar exornantur.& ingredientibus primam rapiunt admirationem. Omnia ſplēdent, omnia opulentiam ſpirant Ciſtæ, abaci, repoſitoria pretioſam ſupellectilem, vix capiunt. Accedunt ſtatuæ & picturæ, &, vt ait Seneca, quidquid ars vlla luxuriæ laborauit. Deinde aulæa, in quibus ſyluæ, feræ, arbores, volucres, hominum vultus, venationes, prælia quicquid denique priſcum æuum vidit vel habet natura; imò fingi quicquid poteſt. Ne verò hâc cupiditate noſter Oeconomus feratur, vt omnia ad domus ſuæ ornatum conferat, & cuncta potius viſenda, quàm ſeipſum efficiat. Audiat hic me.

In quibus cernatur.

Leges pro vſu.

Atque inprimis, vſu rerum ornamenta metiatur? ita fiet, vt nimiam ſupellectilem, non admittat.

Deinde domeſticam ſupellectilem non ſumptuoſam atque magnificam comparet, ſed vtilem & ad opus idoneam.

Tum accommodet ſupellectilem perſonæ, ſtatui ſeu conditioni ſuæ, & tempori. Neque enim magnificentia omnium eſt, aut omnis temporis. Nimia ornamenta ſunt diuitiarum inſolentium argumenta, & inuidiæ molliſque ignauiæ incommoda.

Poſtremò rerum familiæ finem dumtaxat vſum conſtituat, non inanem & inutilem magnificentiam. Fruſtrà ea omnia ſunt, quorum nullus eſt vſus; oſtenduntur magis, quàm poſſidentur; & dum placent, paucas inter horas tranſeunt. Ille mihi prudens paterfamilias eſt, qui poſſidere nihil vult, quod non cum vſu neceſſario ſit coniunctum, imò etiam ad multa accommodatum. Caius Ælius duo tantùm argentea pocula ad ſupremum vitæ diem habuit, quibus ob virtutem à L. Paulo deuicto Perſeo Rege donatus. Argentea illa vaſa, quæ ipſi in fictibus prandenti Ætolorum Legati miſerant, recuſauit. P. Cornelius infimus, etſi bis conſul & dictator, Senatu tamen motus eſt à C. Fabricio, L. Quinto, Æmilio Papo Cenſoribus, quod argenti facti ſeu vaſorum argenteorum decem pondo haberet. Suetonius magnam ſupellectilis parſimoniam in Cæſaris Auguſti palatio fuiſſe ſcripſit, adeò vt pleraque vix priuatæ elegantiæ eſſent. Ptolomeus Lagi filius, vt refert Cœlius lib. 20 in domeſtica ſupellectili nihil admodum præter neceſſaria habebat. Et Epaminondas glorioſiſſimus ille Thebanorum Dux in ſupellectili frugaliſſimus ac parciſſimus fuit. Tiberius Imperator adhibendum ſupellectili modum cenſuit; & verò etiam vtinam hodiè Principes cenſerent. In re enim domeſtica quærenda continentiæ laus eſt. Apud veteres fictilis, aut ligneæ, aut vitreæ, aut æreæ ſupellectilis vſus erat, vt ait Celſus I. C. Quin imò noſtrâ ætate admodum exiguâ & vili ſupellectili contenti ſunt Turcæ. Tollo manum & hoc tantùm addo, verè dictum ab Ouidio.

Exempla frugalitatis.

Peccandi cauſam, quam multis ſæpè dederunt picturæ?

Ideò paterfamilias venereas omnes imagines & nuda fœminarum ſimulachra nec in tabulis ferat, nec in aulæis. His quippè multi ad vitia erudiuntur. Deindè ne tanti faciat veteris alicuius, etſi præſtantiſſimi, vel ſtatuam vel picturam, vt maiori, quàm iuſto, comparare ſibi pretio velit. Mul-

torum emax

torum emax curioſitas iure punitur, dum non rem æſtimant, ſed ſuum affectum ſequuntur. Vnam tabulam plus decies vnâ petiti pretij præſtatione interdum emunt. Præterea ſciat, eos qui tapetes habent, aut fœda ligna, aut ruinoſos parietes tegunt, bellum quoque perpetuum cum muribus, tineis, araneis, fumo, puluere habere, de his iam ſatis.

Additamentum.

VSus talis eſſe debet, vt nimia non ſit ſupellex, ſed tantùm pro vſu familiæ & neceſſitate; adeò vt illa ſuperflua cenſeatur, cuius nullus eſt vſus. Tibullus lib. 1. Eleg. 11.

Tunc melius tenuêre fidem, cum paupere cultu,
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Et Seneca pulchrè eruditèque, Exurge modò & te finge dignum Deo: finges autem non auro nec argento; non poteſt in hac materia imago Dei exprimi; quin cogita illos, cùm propitij fuiſſent, ligneos fuiſſe. Velleius Paterculus lib. 1. improbat ea, quæ Corintho euerſa Romam ſunt euecta, ſigna, tabulæ, ſimulachra, & omnis generis ſupellex. Nam hæc luxuriam cum ornatu inuexerunt. Cicero 2. in Verrem, Quod ſi quem ſtatuæ magnoperè delectent, & ſi quis earum honore & gloriâ ducitur, is hæc tamen conſtituat neceſſe eſt, primum auerti pecuniam domum non placere, deindè ipſarum ſtatuarum modum quendam eſſe oportere. Socrates apud Stobæum ſermone. 1. de Prudentia. Quemadmodum, inquit, equus non generoſus iudicandus eſt, qui inſtructus apparatu magnifico fuerit, ſed qui ab ipſa natura & indole egregius eſt, ſic nec vir bonus ex pretioſa ſupellectili, ſed ex generoſo animo iudicandus eſt. Benè Petrarcha, Non rei pretium, ſed contemptus diuitem facit; aliquin & quærendo cupiditas creſcit, & paupertas cupiendo. Qui immenſà ſupellectili delectatur, impedimentorum ſuorum magnitudine recreatur. Cùm quis ſe loco mouet, copioſa illa ſupellex deferenda eſt; ſi quis vti voluerit, ſæpè transferenda eſt, & plùs difficultatis adfert, quàm voluptatis, plùs oneris, quàm honoris. Præterquam quod iuge bellum eſt cum furibus, muribus, tineis, araneis, rubigine, fumo puluere. Muſonius non imperitè ait, Quemadmodum equus paruo pretio emptus & multis vſibus ſeruiens præferendus eſt illi, qui magno conſtiterit, & ad pauca vtilem operam præſtat; ita ſupellex vilior, ſed multis vſibus commodior, maioris facienda eſt, quàm contraria.

CAPVT IV.

De vſu diuitiarum circa conuiuia.

FVit ea quondam Periclis opinio, teſte Plutarcho, conuiuijs abſtinendum eſſe, quod in familiari conſuetudine ægrè nomen opinionis auguſtum cuſtodiatur. Nolo tamen ſubducto illo vitæ genere Oeconomum noſtrum vti; conuiuia aliquando amicis exhibeat, & diuitijs ſuis ad hæc quoque vtatur. Honeſtum eſt & iucundum amicis conuiuere. Exemplum in Tobia eſt, qui cùm ſeniores ex tribu ſua vocauiſſet, *in eorum gratiam comparatum eſt prandium lautum, & ad edendum poſita ſunt cibaria multa.* Seruator ipſe Chriſtus apud Phariſeos conuiuatus eſt, *vt doceret*, inquit Cyrillus, *hominum inter ſe illicita non eſſe conuiuia, quando ſcilicet honeſtæ amicitiæ gratia ad ea conuertitur, nullius abſentis vita mordetur, nullius ſimplicitas irriſione contemnitur, à verbis ludicris lingua coercetur, & quando non plùs quàm decet, corpori indulgetur.* Vſus verò diuitiarum circa conuiuia in modo conſiſtit. Modum veterum leges ac recentium conſtitutiones docent. Ante illas & illis potior frugalitas, parſimoniaque eſt, *Licita ſunt conuiuia.* *Vſus in modo eſt.* *Modus in legibus.*

Varro de re ruſtica quatuor rebus conſtare conuiuium ait, lectis viris, lecto loco, lecto tempore, apparatu ſine indulgentia. Lecti viri ſunt ij, qui nec loquaces ſunt, nec omninò muti. Eorum numerum vt veteres præſcriberent à gratiarum numero ad muſarum numerum progrediendum eſſe dixerunt, vt cùm pauciſſimi tres ſaltem ſint; cùm plurimi, non plures, quàm nouem. Notum vetus illud Prouerbium, *Septem conuiuium facere,* *Opinio Varronis.*

Conſuetudo non ſequenda.

Sed multi vitioſæ conſuetudinis patrocinio ſeſe defendunt, & conuiuiorum luxum tuentur, quaſi alios mores alia ætas adferre non debeat. An verò valere conſuetudo debet, per quam interdicti ſententia violatur? Negat Pontifex Gregorius in Decretis. Malunt tamen multi errare, quàm vitioſam conſuetudinem derelinquere; nec quod bonum eſt, ſed quod malum, imitari. Credat verò paterfamilias non conſuetudine, ſed ratione viuendum eſſe. Vt ita viuat leges has ipſi figimus.

Leges cõuiuij apparandi.

I. Conuiuium non tam lautum ſit, quàm ſine ſordibus; nec ea eligantur, quæ plurimo ſumptu & exquiſitiſſimâ diligentiâ indigent, ſed paratiora, quæ iucundè alant delectentque. Ita Varro.

II. Ferculorum multitudine ne menſa oneretur. Etenim, vt ait Socrates, *Plus habent voluptatis, cruciatuum verò minus, qui frugaliter viuunt, quàm qui genio indulgent.* Tantùm comedendum eſt, quantùm ad famem depellendam valet; tantùm bibendum, quantùm pudicis & caſtis ſat eſt.

III. Conuiuium ſuaui colloquiorum honeſtate & vtilitate condiatur. *Abſtinendum*, inquit Macrobius lib. 7. Satum. *in conuiuijs ab eiuſmodi dictis & dicterijs, quæ in ſe aliquod ſcommatum genus continent.*

IV. Cùm aliquos ad conuiuium inuitauit paterfamilias, cogitet illud à Socrate vxori dictum, quod ſi modeſti ſint, frugi cœnulam non aſpernabuntur; ſi verò intemperantes, nullam ſibi de ijs curam fuiſſe.

V. Nimium ſecundarum menſarum apparatum vitet, ſtatuatque eas non ad famem pellendam, ſed ad gulam irritandam eſſe inuentas. Erant eæ olim pomorum, vel ex frugibus ſurculorum, & fructibus arborum.

Moneo poſtremò, vt rarò conuiuia celebrentur. Nam gratiam an inuidiam faciant, incertum eſt. Qui inuitantur ad parem gratiam referendam obnoxij redduntur. An hæc gratia eſt? Qui negliguntur, indignantur, & contumeliam iniuriamque meditantur. An non hæc inuidia eſt?

Additamentum.

VSum diuitiarum circa conuiuia certis legibus hic comprehendimus. Modum autem conuiuiorum præſcribere debet modus diuitiarum. Credat Paterfamilias Satius eſſe illi nihil debere, quàm multa expendere. Menſæ magnificentia non luxuriæ apparatu, ſed temperantia definienda eſt, vt dicebat Cardinalis Aldobrandinus. Excipiendis amicis non ſumptus ſpectari debet, ſed decus. Neque enim ſumma fortuna in luxu poſita eſt, vt quidam arbitrantur; & errant illi, qui apparere magnifici volunt, plus expendendo, quam poſſunt. Metiri menſam prouentu annuo paterfamilias debet, vt nec totum in conuiuijs inſumat, & ſuper ſit etiam, vnde neceſſitatibus alijs prouideat. Nunquam enim conuenit ſupra vires redituum ordinariorum facere ſumptus; decet verò vt priuatim quiſque ſuo ſe pede metiatur. Huc referri poſſunt, quæ in Moralibus lib. 3. Titulo de temperantia diximus. Prouerbum eſt, ſtulti conuiuia faciunt, ſapientes deuorant. Philippus Pulcher Galliæ Rex teſte Rebuffo, edixit, ne vltra duo fercula, ſiue duos miſſus in prandio vel in cæna conſumantur, neue aſſæ carnes in prandio apponantur. Henricus III. in eodem regno cauit, Ne in nuptijs alijſue cõuiuijs pluſquam tria fercula apponantur. Aliæ plures ſunt ſumptuariæ leges à veteribus & recentioribus latæ, de quibus agunt Politici.

CAPVT. V.

De vſu diuitiarum circa veſtem.

Nimius hodiè veſtium luxus.

MAlè diſpenſata veſtium libertas hoc tempore in petulantiam & audaciam erumpit. Et, vt cum Seneca dicam, *Quicquid adhuc eſt hodiè veri moris, extinguitur leuitate & politurâ corporum.* Superbiæ ſtudetur, non modeſtiæ. Imò abiectâ patriâ modeſtiâ peregrinis ornamentis patriæ veſtes mutantur, & qui in foro ambulant, vix ſe norunt, dum in externarum nationum delitijs triumphant. Ex opinione omnes iudicant &

quaſi

quaſi non ſit honeſtus, niſi qui ſuperbè veſtitus, vana opinio ad nimium cultum impellit. Indè anguſta res domi, & paupertas. Multi omnia ſua ſecum portant; & dum corpus ſumptuoſis veſtibus ſuperbit, non rarò venter eſurit. Luxum ſemper ſequitur æs alienum, cui ſi ſatis fiat, nihil ſupereſt. Equidem mundam & elegantem veſtem appetere homo poteſt, quod animal ſit naturâ mundum & elegans, ſed profuſus iſte & ſuperfluus luxus coërcendus eſt, vt placeat munditia decens, non odioſa ſit exquiſita nimis. In veſtibus quoq; mediocritas optima eſt. Igitur Oeconomus noſter cùm veſtire familiam ſuam debeat, ſeipſum inprimis, vxorem deindè, tùm filios & filias, ac denique ſeruos; circa omnes mediocritatem ſeruabit, & habitâ ſtatus conditioniſque ratione veſtem ſibi ac ſuis accommodabit. Ita nimirum, vt nec luxuriosè ſit prodigus, nec ſordidè auarus. Leges has illi figo.

I. Is amictus optimus eſt, qui corpori commodiſſimus eſt, non qui ſtolidorum oculos in ſe conuertit.

II. Is veſtis ſit ornatus, qui conditionem & ſtatum decet; quicquid ad oſtentationem tantùm & delitias eſt, repudietur.

III. Ipſe paterfamilias ſit cultu modicus, credatque virilem dignitatem non corporis cultu, ſed virtute conſtare. Virum decet nihil curioſitatis aut leuitatis in habitu oſtendere, ſed animum cultum compoſitumque preferre.

IV. Veſtis ſit apta, munda, decens, honeſta. Incuria quædam in viris grata eſt, & ornatus negligentia. Ad populum phaleræ.

V. Vxor modeſtiam quoque in veſtitu ſectetur, & laciniosas pomparum delitiarumque ineptias aſpernetur. Vult D. Petrus mulieres amictu honeſto cum verecundia & modeſtia ornare ſeſe, non tortis crinibus, vel margaritis, vel pretioſo veſtitu. Vera ornamenta matronarum ſunt, pudicitia & probitas, non veſtes.

VI. Virginum filiarum ornamenta ſint pulchri mores, non pulchræ veſtes. Hæ ſunt elaboratæ libidinis, ac confictæ vanitatis ſuggeſtus. Turpe eſt patrē filias ſuas quaſi venales ſumptuoſo veſtitu proponere. Quærantur illæ propter mores, non propter veſtes; diſciplina commendet, non ſuperbia. Laborat pudicitia, vbi nimia eſt veſtium pompa. Ad hoc ſpectaculum libenter confluunt multi. Quare paterſamilias conuenienter ſtatui ſuo filias ſuas veſtiat.

VII. Modicus quoque filiorum ſit cultus, & innata adoleſcentiæ ſuperbia coërceatur. Teneri iſti pulli nouas quotidiè plumas exigunt. Caue ne dederis, aut adultis nunquam ſatisfacies.

VIII. Seruorum veſtitus ſit pro conditione dominorum, & miniſterio. Elegantiorem comptioremque domino ſuo ſeruum eſſe, non decet.

IX. Paterfamilias plùs ornatus ſemper filiabus ſuis, quàm filijs indulgeat. Infirmior eſt & ſuperbior ille ſexus, oſtentare mauult, quod habet, quàm habere; dum habere ſe non putat, niſi oſtentet. Sit tamen pro ſtatu modus. Ornamentorum & veſtium inſignia lenociniaq; fucorum proſtitutis & impudicis fœminis congruunt. Nullarum ferè pretioſior eſt cultus, quàm quarum pudor vilis eſt, vt ait Cyprianus. Quanquam iam de veſtiarijs legibus lib. 3. Politicorum noſtrorum egi.

Additamentum.

VSus in eo ſit, vt veſtis ſtatui, ordini & dignitati conueniat. Hinc Seneca dixiſſe fertur vxori Neronis, Indue te delicatè non propter te, ſed propter honorem imperij. Eodem modo paterfamilias habitâ ratione ſui ſtatus familiam ſuam induet, quæ ſatis futura erit elegans, ſi ſordes abſint, & aliorum riſui non obijciatur. Hodiè ſupra vim fortunæ ſuæ plurimi ſeſe veſtiunt, & cum iactura familiæ ſplendent, omniaque ſecum portant. Veſtis index animi eſt; vndè, illud Clementis, Amictus indicat, qualis ſit morum noſtrorum conſtitutio. Et D. Chriſoſtomus. Mollis veſtis diſſoluit rigidam animam, & ſi frigidum corpus aſſumat & aſperum, facile per

eiuſmodi mollitiem delicatum reddit & fragile. Benè D. Thomas, qui glorìatur de veſte, ſimilis eſt glorianti de cauterijs; quia per peccatum Adæ vſus veſtium introductus eſt. Audiatur Cyprianus Ornamentorum & veſtium inſigna & lenocinia fucorum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt. Magna ingenia aliquem ſemper in veſte neglectum oſtendunt. Laudatus olim Auguſtus apud Suetonium, quod veſte non aliâ, quàm domeſticâ ſit vſus, ab vxore, ſorore, filia, neptibuſque confectâ. Et de Epaminonda illud proditum eſt, vnicâ veſte contentum fuiſſe, ſi quando vetuſtate collapſam reſarcire opus foret, domi ſe clauſum tenebat. De Seuero Imperatore Spartanus, Tam exiguis veſtibus vſus eſt, inquit, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, cum hirta clamyde humeros velaret. Tacitus Imperator, vt eſt apud Vopiſcum, Togis & tunicis iiſdem eſt vſus, quibus priuatus. Imò vxorem gemmis vti non eſt paſſus. Amplius Holoſericam veſtem viris omnibus interdixit. Et Aurelianus Imperator, Veſtem holoſericam neque ipſe in Veſtiario ſuo habuit, neque alteri vtendam dedit. Hos imitetur, paterfamilias, nec modum ſtatus ſui in veſtibus excedat. Vitet ſordes, quæ non ſunt ingenuæ mentis, ſed ſeruilis animi & abiecti, fugiat autem affectationem in ornatu; credat quoque etiam in hoc genere parſimoniam magnum eſſe familiæ vectigal.

CAPVT VI.

De cura ſanitatis habenda.

BEnè viuere eos, qui in familia ſunt, non minùs oportet, quàm viuere. Vita enim non eſt viuere, ſed valere, inquit Galenus. Et ſicut nihil menti diuinius contingit, quàm virtus; ita nihil corpori, quàm ſanitas. Igitur ad patrisfamilias officium quoque ſpectat, vt qui in familia ſunt, rectè viuant beneque valeant. Proindè naturalis ipſi neceſſaria eſt medicina ſeu quædam inſita ſanitatis tuendæ ratio, quàm debitè exercebit, ſi aëris, victus, operis rationem ita habeat, vt nullo aëris contagio domus inficiatur, victu ſalubri omnes reficiantur, opere moderato exerceantur. Quippè amœnitate aëris, victus ſalubritate corporis exercitatio ſanitas conſeruatur. Hæc vt conſequatur Oeconomus, curabit vt ſæpè verratur domus, nullæque ſint ſordes; vt ſentinæ & quæcunque ſordium receptacula expurgentur, ne familia fœtore peſtilenti periclitetur; vt ſterquilinia remoueantur, ne in domum fœtidos odores exhalent; vt deniquè ægri, ſi malignus ſit morbus, procul ab alijs abſint, ne lues contagione ſerpat. *Triumpro ſanitate ratio habenda eſt.*

Additamentum.

EA habetur cum aëris, victus, operis, mundi tueri cura non deſerùur, ad quę omnia proindè attendere diligenter Paterfamilias debet. Hippocrates quærenti cuidam conſilium de ſanitate tuenda, Reſpondit, Cibi, potus, ſomni, venus, omnia moderata ſint. Plutarchus in præceptis de Sanitate, optimè dictum eſt, inquit, Non ſatiari cibo, non refugere laborem, ſeminis ſubſtantiam conſeruare; hæc tria ſaluberrima eſſe. Perſæ propter exercitationes modicas à pueritia eam aſſecuti ſunt corporis ſicciratem, vt neque ſpuerent, neque emungerentur, neque ſufflato corpore eſſet, vt refert Varro ex Xenophontis lib. 1. Det ergò paterfamilias operam, vt domeſticis cibum & potum ſufficienter ſed cum modo adminiſtret, nec deſinat ſingulorum exercitationes & opera, vt bene omnes valeant; ac tum facilè familiæ proſpiciet. Nam vt dicere ſolebat Pythagoras, Tria à Dijs præcipuè petenda ſunt, forma, diuitiæ, & bona valetudo, eò quòd homo cætera ſibi præſtare poſſit. Apud Indos teſte Strabone, propter vitæ frugalitatem & vini abſtinentiam, aut morbi non ſunt, aut ſi qui ſunt Sophiſtæ curant.

CAPVT VII.

Monita quædam ad Oeconomi curam ſpectantia.

ECce, velut in Satyram inſertio quæcunque reſtant. Monita ſunt quædam.

I. Torpente domino famulus eſt negligens, vigilante & ſollicito diligens.

II. Paterfamilias vt aliquando deambulet, domum ſuam circumeat, quę quæque condita ſint loco, & an rectè proſpiciat, num immineat ruina aliqua obſeruet. Materfamilias, vt exercitationem corporis habeat, veſtes aliquando & ſtragula lauet, excutiat, componat, ancillis adſit & iuuet, ſupellectilem ordine diſponat.

III. Credat fruſtrà eſſe præcipiendi diligentiam, ſi nulla ſit exequendi. Curet ergò, vt fiant quæcunque præceperit.

IV. Ridicula eſt honorum omnium importatio, ſi nulla eorum domi ſit conſeruatio.

V. Quicquid fieri oportet, illud ne noctu quidem intermittatur.

VI. Maior cura Oeconomi ſit circa homines in familia, quàm circa res anima carentes; hæ enim propter illos ſunt.

VII. Prouidentia eius in eo cernatur, vt neceſſaria ſuo tempore comparet. Caro emit pretio, qui tempore non emit ſuo. Qui prouidus eſt, non expectat, vt indigeat.

VIII. Iucunda & ad ſanitatem commoda eſt domus, quæ æſtate ventos excipit, hyeme ſolem. Pateat proindè ad ſeptemtrionem & meridiem.

IX. Ea denique ſit patrisfamilias peritia, vt vndè, quando, quomodo, in quem vſum quæque res ſit comparanda ſciat, permutationum rationes omnes teneat, quid honeſtum, quid vtile, quid neceſſarium non ignoret, prudentum Oeconomorum exempla libenter ſequatur. Poſtremò eam ineat rationem, vt maiores non ſint ſumptus, quàm reditus. Sed tempus eſt, vt calamum tollam memor elementa me tradere, & iuuentuti ſcribere, quæ hoc inſtitutionum noſtrarum filo vtinam per adminiſtrandæ familiæ rationes ad Reip. gubernationem, quam iam volumine alio complexi ſumus, ducatur. Si iuuentuti profuero, cuius vtilitas mihi lex eſt, feliciter ſcripſero. Faxit Deus, à quo hæc ſunt.

Additamentum.

IIs, quæ hoc capite referuntur, hæc adde. Cleobulus optimum Oeconomum inde iudicabat, ſi plures haberet ſui amantes, quàm metuentes. Bias eam familiam optimam eſſe dicebat, in qua Dominus ſpontè ſit eiuſmodi, qualis propter legũ foris eſt. Pittacus benè conſtitutam domũ eſſe pronuntiauit, cui ſuperfluum nihil abundet, neceſſarium nihil deſit. Solon optimum Oeconomum eſſe dixit, in cuius familia pecuniæ non iniuſtè poſſideantur, nec difficulter cuſtodiantur, neque propter ſumptus pœnitudinem adferant. Thales eam familiam probabat, in qua domino plurimum otij agere liceat. Chilon aiebat oportere domum maximè fieri ſimilem ciuitati, quæ regnò gubernatur. Hierocles in Oeconomicis, ita diſtribuit opera, quæ familiam ſuſtentant, vt viro opera ruſtica, forenſia, ciuilia tribuantur; mulieri, quæ ad lanificium & frumenti apparatum attinent, omnia denique domeſtica negotia. Non tamen alter ab alterius operibus, ait, omnino immunis eſſe debet; nam & mulierẽ aliquando decebit, vt rus egreſſa operarijs præſit, & patrisfamilias vicem gerat; contrà viro rerum domeſticarum habere curam laudi dabitur, partim ſciſcitando, partim ea, quæ functi inſpiciendo. Sic enim mutua communio magis ſtabilietur, ſi neceſſarias inter ſe curas communicent. Præter hæc colligi multa pro Oeconomo monita poſſunt ex Salomonis Prouerbijs & in Eccleſiaſtico. Item ex Plutarcho, Varrone, Ariſtotele & alijs.

FINIS.

INDEX
TITVLORVM ET CAPITVM
LIBRI PRIMI.

TITVLVS I.
De Familiæ Natura.

CAP. I. *Quid Familia, quæ eius materia, & forma.* fol 1.
2. *Quæ perſonæ ad Familam neceſſariæ.* fol. 2
3. *Cauſa efficiens Familiæ, & finis.* 3
4. *Quæ & quot Societates in Familia reperiantur.* 4.
5. *Quænam trium in Familia ſocietatum ſit præſtantiſſima.* ibidem

TITVLVS II.
De Patrefamilias.

1. *Quis Paterfamilias, quod eius imperium.* 5.
2. *Quid ſit Patrisfamilias officium.* 6.
3. *Præcepta Patriſfamilias ſeu Oeconomo ſeruanda.* 7.
4. *An Paterfamilias ſurgere ante alios manè debeat, & vltimo veſperi decumbere.* 10.
5. *Verum Patrisfamilias ſeu Oeconomi prudentia magis in amplificatione diuitiarum requiratur, quàm in vſu.* 11.

TITVLVS III.
De ſocietate coniugali, ſeu de viro & vxore.

1. *Quid ſit Societas coniugalis, quæ materia, finis, neceſſitas* 12.
2. *An vxor voluptatis cauſa duci debeat.* 13.
3. *An vna tantùm ducendo ſit vxor.* 14.
4. *Quid in vxore ducenda attendendum ſit.* 15.
5. *An ergò Iuueni non liceat vetulã vxorẽ ducere.* 16.
6. *An expediat multò ſœdiorem vxorem ducere?* 17.
7. *An vxor domina ſit, an ſocia, an ancilla.* 19.
8. *An regi vxor à marito poſſit.* 20.
9. *Quomodo vxorem regere maritus debeat.* ibid.
10. *An vxoris cupiditati ornatus aliquis ſit permittendus.* 21.
11. *An domi aſſeruanda ſit vxor.* 22.
12. *An ſeueritate aliquâ cogi ad officium vxor à marito debeat.* 23.
13. *Officia mariti erga vxorem, & quædam ad hanc rem leges.* 24.
14. *Officia vxoris erga maritum, & quædam ad hanc rem leges.* 25.
15. *An viri fortis, & fœminæ imbecillis coniunctio ad Familiam ſit vtilis.* 28.
16. *Quanta ſit viri in vxorem poteſtas.* ibid.
17. *Quomodo conſtare viri & vxoris concordia poſſit.* 29.
18. *Exempla ſingularis in coniugio amoris.* 30
19. *Varia circa coniugium quæſtiuncula.* 31.
20. *Nonnulli veterũ ritus in coniugio contrahendo.* 34.
21. *Quæ pœna adulteris conſtituta.* 35.

TITVLVS IV.
De ſocietate paterna, ſeu Patre & Matre.

1. *Quid ſit ſocietas paterna, quæ materia, cauſa efficiens, finis.* 36.
2. *Quid & quanta ſit patria poteſtas.* 37.
3. *De partibus officij paterni.* 38.
4. *De prima officij paterni parte circa formandam & ſeruandam in vtero prolem.* ibid.
5. *Quæ obſeruari à grauidis mulieribus debeant, & quid circa illas.* 39
6. *Quanta cura prægnantes vxores ſeruare mariti debeant.* 41
7. *De ſecunda officij paterni parte circa prolem adhuc infantem.* 42
8. *An matres ſuo ipſæ lacte nutrire infantes debeãt.* 43
9. *Cuiuſmodi liberis alendis eligendæ ſint nutrices.* 45
10. *De tertia officij paterni parte circa prolis inſtitutionem.* 47
11. *Quod tempus ſit inſtitutionis, & quæ eius partes.* 49
12. *De formandis puerorum moribus.* ibid.
13. *De componendo ad virtutis actionem puerorum corpore.* 52
14. *An igitur indulgenter & delicatè nutriri nequaquam pueri debeant?* 53
15. *De formando puerorum per artes & ſcientias ingenio.* 54
16. *An cognoſci puerorum genia & inclinationes debeant, priuſquam artem aliquam applicentur.* 55
17. *Quæſtiuncula aliquot.* 56
18. *De Cura coniugij Liberum.* 58
19. *De filiorum erga parentes officio.* 59
20. *An liberi teneantur parentibus in ſenectute, vel in neceſſitate alimenta & opem præſtare.* 60
21. *Quæſtiunculæ circa filium officium aliquot.* 62
22. *Singularia pietatis in parentes exempla.* 63

TITVLVS V.
De ſocietate heri, ſeu de domino & ſeruo.

1. *Quid ſit ſocietas heri, quæ materia, quis finis quis Dominus, quis ſeruus.* 64

2. *Varia*

INDEX TITVLORVM ET CAPITVM.

2. *Varia Domini & ſerui diuiſiones.* 65
3. *Quanta ſit dominorum in ſeruos poteſtas.* ibid.
4. *De officio Domini erga ſeruos.* 66
5. *Quænam ſint ſeruorum virtutes, in quibus eorum officium cernitur.* 67
6. *Quales ſerui ſint comparandi, & quo numero.* 69
7. *Veri ſint ingenioſiores, domini an ſerui.* ibid.
8. *An præſtet ſeruum habere minus ingenioſum & timidum, quam ſubtilem & animoſum.* 70
9. *Exempla ſingularis fidei ſeruorum erga dominos.* 71
10. *De officio ſeruorum erga dominos.* 72
21. *Varia de ſeruis quæſtiuncula.* 73

LIBRI SECVNDI.

TITVLVS I.

De acquiſitione in genere.

CAP. I. *Res aliquas ad familiam ſuſtentandam acquirendas eſſe.* 74
2. *Leges Patrisfamilias in acquiſitione ſeruandæ.* 75
3. *Vtrum Oeconomus ſtudere potius debeat natura, an fortuna, ſed artis vis acquirendis?* 76
4. *Vtrum præſtet bona ſua in agris retinere & curare, aut iis venditis neceſſaria familia procurare.* 77

TITVLVS II.

De naturali acuirendi ratione.

1. *De acquiſitione per agriculturam.* 78
2. *De acquiſitione per pecuariam.* 79
3. *De acquiſitione per venationem, aucupium, piſcationem.* 80
4. *De acquiſitione per prædatoriam.* 81
5. *De vario viuendi ritu quibuſdam populis uſitato.* 82

TITVLVS III.

De artificiali acquirendi ratione.

1. *Quid & quotuplex artificialis acquirendi ratio.* 83
2. *Quatuor ſpecies rationum acquirendi præter naturam.* ibid.
3. *An commutatio ſit naturalis, & quæ eius cauſa.* 84
4. *De Mercatura.* 85
5. *De fœneratione ſeu vſura.* 86
6. *De Mercenaria.* 87
7. *Quis verus ſit diuitiarum modus.* ibid.
8. *Ingentes quorundam opes.* 88

TITVLVS IV.

De vſu diuitiarum.

1. *Neceſſarium eſſe diuitiarum vſum & quibus in rebus cernatur.* 89
2. *De vſu diuitiarum circa ædificia.* 69
3. *De vſu diuitiarum circa ſupellectilem.* 92
4. *De vſu diuitiarum circa conuiuia.* 93
5. *De vſu diuitiarum circa veſtitum.* 95
6. *De cura ſanitatis habenda.* 97
7. *Monita quædam ad Oeconomi curam ſpectantia.* ibid.

FINIS.

